





66 20
A. D. T. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA
DE
PLEURITIDE,

QUAM
SUMMI NUMINIS AUSPICIO,
DEO TER OPT. MAX.

consensuq;
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
publicæ disquisitioni subjiciunt

PRÆSES
JOHANNES FRIDELIUS,
Pofoniô-Hungarus, Med. Doctor.

Autor & Respondens
MARTINUS KÖLSCH,
Segesvvariâ Transylvanus
Med. Cultor.

In Auditorio Medicorum
horis matutinis

die April. Anno M. DC. LXVIII.

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken.

10

DISPENSATIO MEDICA

PER

...



...

...

...

...

...

...

...

...



CUM DEO
DE
PLEURITIDE

Proœmium.

INter mediū Ventrīs affectus, quibus corpus humanum infestari atq; excruciarī consuevit, haud postremum sibi vindicat locum Pleuritis, cū morbus acutus non solū existat, sed & vehemēs, magnā sanē cautelā partim in medicamentorum exhibitione, partim etiam in victūs administratione adhibenda atque præstanda. Nos, cū morbus hic consideratione sit dignus, eum in hac publica proposita disputatione sine ullis verborum ambagibus perpendemus. Ante omnia itaque nos ad cœlestem Medicum Deum convertimus, supplicesq; oramus, ut nostra Studia ad sui divini nominis gloriam, & agrotantium Salutem clementer dirigere velit.

CASUS PRACTICUS.

Quidā Juvenis annos natus 25, æstate adeò fervente, consumit iter trium dierum. In itinere v. sitim extinguendi gratia, multū vini ingessit. Postquam domum rediit, sentit lentum quendam Horrorem, mox ingentem calorem febrilem totius corporis. Queritur dextrum latus pectoris sibi dolore, cum difficultate spirandi, & si Spiritum trahit, dolorem in latere dextro sentit pungitivum, incipit tussire; ast nihil rejicit, neq; de sputo. Dolor lateris nunquam remittit, sed est perinde ac si locus vel intendatur, vel pungatur, pulsus parvus, urina, genæ, imò tota facies est rubra.

SOLUTIO.

CAPUT PRIMUM Onomatologiam considerat.

Pleuritidis morbi acutissimi Sciagraphiam mihi suscepturo, nullus autumo vertet vitio, si paululū mentem in pomeria philologica ob variegatam florum elegantiam, immittam, & necessariam nominis enodationem exponam, non nescius, nominis Evolutionem multū afferre utilitatis pariter ac perspicuitatis Disputantibus, sicq; in rei potissimam perfectionem

enucleatâ vocabuli ambiguitatē devenire unum quēvisq; posse.
Et licet multis in locis Galenus, Medicorum Antesignanus Scri-
ptores dehortetur, à proluxa nominum interpretatione, velitq;
ut ambagiosa verborum enodatione supersedeant, quia tamen
crebrò voces rerum sunt involucra & ex earum perspectis incu-
nabulis, sæpe in harum penetralia provehimur, nominalem à
fronte statim expositionem affectus declarandi dabimus.

§. 2. Etymologiæ loco monendum. Pleuritidem derivari
α' πὸ τῆς πλευρᾶς; vel ἀπὸ τῆς πλευρῆς, quæ vox notat latus, seu
lateralem partem, atq; à latinis græcisantibus Civitate donata
est, ut πλεύρα notet membranam costas succingentem, quæ
(liceat aliquantisper cum veteribus loqui) si cui inflammata fu-
erit, pleuriticus ille dicebatur.

§. 3. Synonymia prostat multiplex. Arabibus dicitur
apostema pectoris, quò sensu Avicenna usurpavit. Græcè e-
tenim pleuritis, latinè dolor lateralis, unde, *Isidorus pleuritis est
dolor lateralis acutus cum febre & sputo sanguinolento.* Serenus
restis est olim audivisse Telum, eò, quòd veluti telò tactus pun-
gatur, dicitur etiam passio pleuritica, laterum punctio. Ger-
mani dicunt. *Das Seiten stechen/das Seitenweh.* Sic Hun-
gari dicunt, quando hòc affectu laborant. *Oldal fajalom vagyon.*

§. 4 Notandum a. hic est in frontispicio, quando dicitur de
dolore laterali, non esse scilicet sumendum omnem dolorem pro pleu-
ritide, qui in latere dextro vel sinistro sese exlerit. Nam, si
vulnus lateri infligitur, vel ulcus in eo residet; utiq; dolor ten-
tatur, sed inde non sequitur esse dolorem pleuriticum. Item,
quando dicitur à nonnullis omnem dolorem lateris fieri ab in-
flammatione. Sanè homines dolores varios locis in variis experi-
ri coguntur. Exēplo nobis sint dolores, renū, qui proficiscuntur a cal-
culo, necnō dolor ab eruptione variolarū & morbillorū ap. infan-
tes. Hi ad unum omnes certè non pro dolore pleuritico sunt ha-
bendi, sed prout causa, ita effectus. Notandum deniq; diffe-
rentias pleuritidis secundū veteres, pleuritidem in primis dari
veram, modò spuriam. Spuria dicitur vel ob partem affectam,
nempe musculos intercostales externos, vel ob humorem calen-
tem, vel flatus, unde & flatulenta appellatur. Contra pleuri-
tis ve-

tis vera est ille morbus, quò pulmones primario inflammantur,
& patiuntur.

§. 5. Nos v. non junctim sumimus Pleuripnevmoniam,
Peripnevmoniam, Pleuritidem; hanc ex antecedentium nume-
ro exemptam volumus. Nimirum Peripnevmonia est inflam-
matio utriusq; lateris pulmonum; Pleuritis v. unius tantum
lobi pulmonum, uti palam faciemus inferius circa ipsam differ-
entiã adeoq; de Etymologia sat in præsentiarum.

CAPUT II. DE finitionem Realem explicat.

§. 1. Essentia Pleuritidis ut planius pateat, & Galeni &
Aristotelis legimus vestigia. Ut itaq; de Essentialitate Pleu-
ritidis differamus, age à dēfinitione bonis avibus initium capes-
semus. Gorræus Finitionum Medicarum dignitatem & neces-
situdinem satis docet inqvies ὁρὸς ἐστὶ λόγος τῆς εἶναι δαλῶν: De-
finitio est oratio, quæ ipsam rei declarat essentiam: Hinc secundo
post. Analyt. Cap. 3. ὁ ὁρισμὸς ἐστὶ τῆς οὐσίας γνῶρισμος. Defi-
nitio est id, quò Essentia alicujus rei fit manifesta. Ut itaq; de
quidditate Pleuritidis in præsentiarum differamus, age, ini-
tium a Definitione capiamus. Hippocrates de Loc. in hom. La-
teris morbus siccus, s. Pleuritis sicca extra fluxionem oritur, cum ex
vehementi sit: pulmo admodum resiccatus fuerit. Pulmo n. cum
siccus existat, ubi amplius, quàm pro natura resiccatus fuerit, gra-
cilis evadit, & impotens redditus, ad latus præ impotentia inclinatur,
ipsūq; confingat eog, contactō, cum humidum existat, ei adhaerescit
& morbum lateralem s. Pleuritidem facit. Autor definitionum,
Medicarum sic definit: πλευριτις ἐστὶ πλεურῆ καὶ, ἔπε ζώκοιός.
διὰ τε ἰσσοσά μέχρι κλειδός, καὶ ἀκρωμοί' 8, καὶ ὤμο πλάτης, συν-
φρίκης, καὶ ἀδιαλείπτω παρητῶ μετ' ὀδύνης πυγματώδους ὀμῆ καὶ
βραχιά, succingentis ad jugula, usq; summum humerum & scapulas
exporrectus, cum febre acuta, & continua, simulq; cum dolore pun-
gente, horrore, spirandi difficultate & tussi. Alii aliter de-
finiunt.

§. 2. Hisce itaq; cognitiss, nostrã jã palã faciemus Definitionẽ,
& quid,

& quid. non ad regulas Logicas normatam : definitiones
quippe Medicæ non semper stringendæ sunt regulis Logi-
cis. Sufficit Medico, asserente Celeberrimò Hofmanno natura
& Quiditatem Morborum exposuisse. Est igitur *Pleuritis*
inflammatio alterius lobi pulmonum à Sangvinis influxu orta, eaq;
modò bilioso, modò acri & acescente, cum febre continua, acuta tuf-
si, difficultate respirandi, tensione, & pulsu parvo.

§ 3. Generis loco nobis stat inflammatio cum Celeber-
rimo B.D. Sennerto Lib. pract. de Pleuritide. Et sanè Pleuritis
haud rectè ad tria genera morborum referri potest, sc. ad mor-
bos intemperiei cum materia. Secundò ad morbos magnitudinis
auctæ. Tertiò deniq; ad solutionem, tensionem, ruptionem
vasorum, hinc ad morbos solutæ unitatis. Sanguis quippe, modò
corruptus, modò genuinus ad pulmones fertur, naturalisq; par-
tis magnitudo augetur, adeò quid. ut persæpe, maximè in Ple-
thoricis, vasa pulmonum mole, urgente, rumpantur, & sanguinis
s. Materiæ impuræ in Thoracis cavitate fiat collectio: quod ma-
lum postmodum in Empyema degenerare solet.

CAPUT TERTIUM. Subjectum seu partem affectam declarat.

§. 1. Antequam ad Subjectum Pleuritidis accessum faci-
amus, sciendum est, variis in locis Microcosmi, varias à M. S.
oriri posse inflammationes. Ut taceam anginam, morbum aliàs
periculosum! Quid dicam de Phrenitide? hæc utiq; tristem faciẽ
nanciscitur à M. S. sc. cerebri piã matre inflammatã. Quid de-
niq; afferam de humoribus in M. S. latentibus? qui per univer-
sum Corpus mediante circulatione Sangvinis, modò ad
hanc, modò ad illam Corporis partem diffunduntur. Un-
de Erysypelas, Cancer, Phthisis, dum modò adsint hujus vel
illius affectus heterogenei humores, ex quibus produci solent:
unde constanter asserere nulli dubitamus, omnes partes corporis
H. inflãmari posse. Inde, si omnes, pulmo excipiendus minimè-
rit, adsunt enim vasa pulmonalia, ex basi cordis dextrorsum & si-
nistorsum per pulmones in ramos minores divisa; adsunt rami
à trunco venæ cavæ ascendente, nec non rami ἀζυγος seu sine
pari, per Substantiam pulmonum seminati: his omnibus ita se ha-
benti-

bentibus Substantia pulmonum adeò rara, spongiosa, Subjectum Pleuridis erit pulmo: hic enim nonnunquam totus inflammatus est. Ante omnia a. animadvertendum est, quando obicitur Pleuriticum dolorem sentiri vel in dextro vel in sinistro, latere, hinc concludi potest, non semper totum inflammatum esse pulmonem. R. distinctè hic agendum esse: qn. n. totus pulmo inflammatur, tunc est peripnevmonia, nam pulmo dividitur in partem dextram & sinistram beneficiò mediastini, quod etiã Hippocrates de Loc. in hom. p. 414. testatur. Verba ejus ponere fas est: *Ubi utraq; latera doluerint, reliqua; similiter, ut in priore se habuerint, hæc quid. pulmonis inflammatio est; illa v. Pleuritis.* Et paulo post: *Cum vero alterutrum tantum lateris, fit morbus Pleuritis dictus.* Hic Hippocrates pulmones pro subjecto, primario & adæquato Pleuridis agnoscit. Quamquam alii varia habeant Subjecta utpote venas & Arterias. Praxagoras eas partes, quæ spinæ annectuntur pro Subjecto agnoscit. Asclepiades pulmonis bronchios, totum pulmonem Herophylus, qui omnes cum Æsopica vulpecula, vitrum, (quod ajunt) lambunt; pultem v. non attingunt.

§. 2. Nos v. Subjectum & sedem firmam alterutrum latus Pulmonum esse statuimus, innixi non tantum Autoritate veterum Medicorum, sed & rationibus. Inter Autoritates maximè nostræ sententiæ favet Hippocratis senis venerandi, imprimis a. de Loco in homine manifestissimè nobis assentitur. Verba ejus ponamus: *Si utrumq; latus pulmonum inflammatum, Peripnevmonia est. Si v. alterutrum, Pleuritis.* Reperiuntur aliàs multi, qui hunc Hippocratis perfricatâ fronte textum sinistrè interpretantur, uti facit Martianus, Julius Cæsar, Claudianus, Hippocratis fidissimi aliàs Comites, dicentes: Non a pulmones, eò modò, quò Hippocrates vult generari Pleuritidem ac Peripnevmoniam facilè dignosci posse locum patientem, quando inquit: Si materia biliosa à capite per guttur & asperam arteriam deflexerit in pulmonem, is cum rarus sit, atque ficcus, quicquid humoris potest, in se attrahit & excipit, Et sic major redditur: quòd siquidem in totum fluxerit, fibræ majores redditæ, utrumq; latus attingunt, pulmonisque inflammationem faciunt: cum v. alterum tantum latus attige-

attigerit, lateralis fit morbus Pleuritis dictus. Unde argumentantur. In Loco illo, in quo agit de Pleuritide Hippocrates, non Pleuritidem intendisse, sed potius Peripnevmoniam: inde, si peripnevmonia est pulmonum affectus, sequitur quod non Pleuritis. Probationem quod concernit desumpta est ab autoritate. Secundò inferunt de dolore; In qua parte corporis H. dolor primariò sentitur, illa etiam erit Subjectum doloris; sed in dextro vel sinistro latere dolor pungitivus sentitur, ubi nim. pleura est: E. pleura per consequens Subjectum primarium erit Pleuritidis. 3tiò, Hippocratem in lib. de homine nunquam dixisse ferunt Pleuritidem esse affectum pulmonum, sed potius pleuræ; at limam cuncta merentur: Aliena n. mens Hippocrati attribuitur. Hippocrates certè sumæ dexteritatis Medicus nullã fovet aliã distinctionẽ s. differentiam, tum secundum locum affectum, tum etiam ipsam affectionem inter pleuritidem & peripnevmoniam, nisi in hoc, quod in illa unum latus tantum, in hac v. bina latera pulmonum afficiantur. Quod concernit locum Hippocratis asserimus ex illo pulmonem πρώτος affici; pleuram v. δεύτερος: ita, ut pleura modò per consensu & Sympatheticè lædatur. Ideoque concludendum cum Hippocrate, primariũ subjectum passionis esse pulmones, reliquas a. læsiones ex pulmone propullulare, & ita affectum pleuriticum in illis & ex illis promanare. Quamquam excipere per instantiam quispiam possit, non opus esse, ut dolor semper à pulmone proficiscatur: potest enim ab aliis partibus radicaliter oriri. Hinc positò tali morbò, necessariò sequitur dolor partium adjacentium, sive is proficiscatur à compressione, sive tensione, nihil interest. v. g. in affectu hepatico videmus mammam affici, & dolorem percurrere ad claviculam usq., cum tamen inflammatio non sit in mamma, sed potius in Epate. Argumenta pro pulmone facientia sequentia esse possent: Primò tussis, quæ comes est Pleuritidis, non fit à pleura, sed à pulmonum facultate expultrice, Hæc n. inimicum sentit, hinc eum ejicere conatur, unde tussis. E. pulmones afficiuntur, & non pleura primariò. Per inimicum a. intellectam volumus materiã, quam facultas Expultrix evacuat, hinc
tussis

tussis statim in initio hujus affectus apparet. Materia a. in principio, nequaquam à pleura emanare potest, siquidem illa tum temporis adhuc intacta, compacta & fixa est. Secundò discernenda s. distingvenda est pleuritis vera à nota: spuria semper partes exteriores possidet, in hac nulla occurrit vel molesta est tussis; In vera a. semper adest tussis: hinc colligitur in hunc modum: Tussis præsupponit materiam in pulmone. E. pleuritis, quæ tussim plasmat, sibi consocialem habet pulmonem. Tertio difficultas respirandi quæ in Pleuritide adest, nunquam aliunde originem habet, quàm à pulmone. Quarto in Pleuritide pulmones præter naturam sunt humore impleti, inde Sanguis non raro crumofus ejici solet. Uti testatum reliquit Hipp. lib. de morb. Sputum in Pleuritide ejicitur modò cruentum, albidum & rotundum. De rotunditate Hipp. lib. Epidem. nec non in Coac. sequentia reliquit annotata. *Nunquid n. sputa rotunda in Pleuritide per os rejiciantur, & Sext. Epidem. Sputa rotunda delirium significant, cum itaq; certum sputa in pulmonibus rotundari, sequitur (per notã bonæ cõsequentiæ) quòd in pulmonibus quoq; erit affectus & inflammatio, quæ sputa in rotunditatem adigat. Non enim ex sola transitione sputum rotundum fieri potest, ni ibidem phlegmaticus existat affectus. 5tò ab impossibili. Nullatenus quippe, tanta copia materiæ in pleura poterit existere, quanta in Pleuriticis evomitur ac ejicitur: Nobis ad stipulatur Felix Platerus Tom. II. Prax. p. 338. & sequentibus: *Nos verò non tantum in peripneumonia, verùm etiam in Pleuritide, quam veram vocant, pulmones inflammatos fuisse, præterquam, quòd in mortuis aliquoties pectore aperto spectavimus, ut vel solum hoc ad sententiæ nostræ veritatem comprobandam possit sufficere; & rationibus hisce certis, ita sese habere, evidenter possumus demonstrare, quòd sanguis, quem tam subito exscreant, à tunica succingente inflammata, tam citò præsertim per pulmones, eorumq; vasa, ad exspuitionem penetrare, nec suppurata eâ, pus ex eo loco transitum sibi per pulmones, illis non lasis, aut ulceratis faceret: & sic ad excretionem usq; perferri minimè potuisset; sed potius, si inde emanaret, in cavitatē thoracis deflueret atq; ibi Empyema gigneret. Quæ proin cum in Pleuritide statim & copiosè interdum ex-**

B

cernantur.

cernantur, ut in Peripneumonia hæc è pulmonibus provenisse, nec aliunde eò pervenire potuisse. Est ita; nam Sanguis qui tam citò ejicitur, non ab unica costas investiente membrana provenire potest, atq; tam citò & momentaliter ad pulmones migrare. Etenim neq; pervasorum nimiam dilatationem & apertionem, neq; per tunicæ laxationem, neq; deniq; per diæresin, h. e. causâ incidente, erodente, rumpente ad pulmones manare, ac se diffundere valet, cum in principio non oppleta, l. vena, l. membrana adeò distendi possit, ut ruptionem patiatur, neq; tam corrosiva sit, ut diæresin nanciscatur, neq; tam tenuis, ut Diapithisin valeat experiri. Et si id concederetur, quæ concedi poterit, sanguinem è membrana manantem purum emergere, sincerumq; profiliire, si tot viæ obstant? Quæ rubicundus apparebit, ac non nisi excrementitiæ materiæ permistus est, cum sanguis, nisi denuò ejiciatur, vel niger evadat, vel in grænum abeat. Hipp. in Coacin hæc verba prorumpit: *Lingvâ peripneumonia & Pleuritis indicem esse; Quibus peripneumoniacis, tota lingua fit alba & aspera, pulmonis cunctæ partes inflammantur: quibus a dimidia tantum illa pars, quæ conspèctatur.* His indicare vult Pleuritidem oriri à pulmonibus; non v. à pleura ob cognationem: Lingva n. tenuissimâ vestitur membranâ, quam nanciscitur partim à gula, partim etiam à gutture: uti Duretus in Comment. Coac. testatur. Si quis verò tam rigidus, quem hæc nō moveat illū moveat *αὐτὸς* ipsa, cui refragari non est prudentis. Sæpiùs n. in sectis cadaveribus Pleuriticorū pulmones affectos reperimus, quàm pleurâ. Unicus hujus rei testis Felix Platerus sufficiat. Hic Excellentissimus Medicus Prax. Tom. 2. Quòd si sentiat per Experimentiâ & sectiones semper pulmones inflammatos fuisse & infectos. Exempla qui desiderat, præfatum adeat Medicum. Et rationi quoq; haud absonum est, quippe, interdum pulmonum non tantum alteruter lobus, a postemate sordidò infectus, in Pleuriticum corpore invenitur; sed & Diaphragmatis pars interna versus thoracem in eodem latere ac Musculi intercostales exulcerati & erosi erant, ita, ut ex uno nonnunquam Subjecto ad s̄b s̄b materiæ purulentæ promere licuerit.

Nostrâ opinionem stabilire etiam videtur *Zeibius Consult. Med.*

Med. Conf. 26: qui se semper in ea opinione fuisse testatur, quòd lateris dolor primariò pulmonibus adscribendus sit, imò rarò pleuræ, s. membranæ costas investienti.

CAPUT IV. Causas rimatur

§. 1. Quemadmodum indefessa Sangvinis Circulatio in pancreatica sanitate acquiritur, ita hac cessante, in toto sanguinis, putredo & mors totalis; si in parte aliqua, partialis sequitur, istius videlicet partis, quæ immobilis persistit. Non secus de humoribus, bilioso, pituitoso, melancholico est loquendum: & licet non desint multi, qui hos humores Pleuritidem causare negent; quia tamen illorum ictus in fumum abeunt, & nos non feriant, libenter præterimus.

§. 2. Unicum de pituitoso humore solvere liceat dubium. Num sc. ille revmaliter à capite ad pulmones tendat, ita, ut revera Pleuritidis causa esse possit: *Avicenna* ait: *A' Catharro oritur, Peripneumonia, Angina, Pleuritis.* *Aristoteles* d. Part. Animal. Compertum inquit, dari ab his partibus ad caput evaporationem, ac deinde in cerebro vaporum condensationem fieri, & in subjectas partes effluxionem: Eò proinde modo, quò in secunda aeris regione condensantur. Vapores, & in pluviam convertuntur, unde perenni quodam circulo, instar Euripi fiat mutuus inter superas & inferas partes fluxus & refluxus. Vias a. per quas à capite Materia catarrhosa descendat, partim in asperam arteriam, partim in pulmones, esse os cribroforme, unde ad nares, os, palatum, fauces &c. Hæc erat erronea via, quæ Autores varios in varios induxit errores, ita, ut quidam nõ erubuerint cerebrum cù cucurbita comparare. *Trajanus* credit etiam cerebrum, si vitio valetudinis existat calidius, tantò vehementiùs trahere humores. Hæc opinione plures recentiorum ducuntur, ut *Benedictus Victorius Faventinus*, *Bened. Antonius Guainerius*, *Fumanellus*, *Hollerius*, *Hercules Saxonia*, *Riolanus*, aliiq; horum affectu complures. *Crato* loquitur ita: *Caliditas cerebri attrahit humores, ut cucurbita.* Idemq; *Constitutio cerebri cum sit calida, & tanquam cucurbita, ut Hipp. ait, ad se vapores & humores trahit.* *Nicolaus Piso.* *Cerebrum supra modum calefactum, cucurbita modo trahit ex subjectis partibus Mercurialia*



curialis vis attractoria inest capiti, quod, teste Hippocrate, tanquam Cucurbita superpositum est. Et Casalpinus cerebri caliditatem ait esse valde attrahentem. Fontanus, distinguendum num humores collecti in cerebro generentur, in illo per debilitatem facultatis naturalis excrementa multa producentis: aut accidant per attractionem humorum ad cerebrum. Fit n. plerumq³, ut calore cerebri attrahantur humores calidi, frigidi & tenues. Solenander: cerebrum, si calidum, calore suo quodammodo allicit, attrahitq³ humores. Vegirius: Calor undiq³ vapores ad se trahit, Caput figurã habet cucurbitulæ, si accedat flamma s. alienus calor, haud dubiè non aliter, quam cucurbitulæ instar, ad se humores rapiat & vapores. Plura & similia citata, vide ap. Magnificum Dnum. D. Schneiderum, Scholæ Medicæ lumen incomparabile. Alii de cerebro in hunc modum sentiunt: Cerebrum substantiã medullosum, nativò temperamentò frigidum & humidum cum pituitosò alatur Sangvine, maximam insitã vi, & naturã propriã ex alimentis superfluis excrementorum congerit copiam; sed & cum caminus sit universi, & cucurbitulæ instar, (cujus figuram refert, ex amplo in angustum desinens,) infideat trunco corporis, sorbens trahensq³; ab inferis expirationes omnis generis, ut docet Hipp. lib. de gland. Non est dubium, quin vaporibus oppletum, & assiduis eorum haustibus velut inebriatum, supervacua multa in se contineat, adeò, ut & per se, quia frigidum, humidumq³; & ex eventu & ratione sitûs editissimi excrementis abundet. Excrementa hæc cerebri duo sunt Hipp. & Galen. alia tenuia, alia crassa: illa vaporis & fuliginis instar per ductus ferè insensiles sursum exspirant; hæc per patentes & conspicuos meatus deorsum expurgantur. Illis tenuioribus & vaporosis abundat cerebrum, tantum ratione sitûs, sursum n. conscendunt halitus, & vasa ad caput terminantur. His crassioribus ob frigidam & humidam temperiem sentit magis, quam reliqua viscera. Crassiorum a. quædam sunt pituitosa, aquea, serosa, quædam biliosa, quædam melancholica. Aquea ex reliquiis pituitosi & rudioris Sanguinis; biliosa v. & melancholica ex terrena alimenti portione, caloris tandem vi assata generantur,

tur, ac propterea amarescunt. Galenus ait parv. art. c. 13. Sunt igitur pituitosa haec & mucosa cerebri propria excrementa, cum proprios habeant canales s. helices, per quos expurgantur, hinc soli vacuationi dicatos. Istis excrementorum cerebri differentiis ita constitutis, videamus nunc, per quos ductus expurgentur singula. Tenuia & fuliginosa, cum sua levitate superiora petant, per meninges (h. e. piam & duram matrem,) cranium & cutem exspirant: per meninges quidem & cutem non assestabili, sed insensili ductu: est n. earum corpus in vivente multis foraminibus pervium. At ossis crassitiem & densitatem, cum permeare non possint fuligines, suturis distinctum est cranium & cavernulis in Diploe sinuatum. Crassiora a. excrementa, cum naturali forma deorsum ferri debeant, conspicuos canales habuerunt; de quibus non satis constat inter Medicos. Hipp. lib. de Loc. in hom. & lib. de gland. septem agnoscit ductus (unde etiam septem Catarrhi, de quibus Magnificus Dn. D. Schneiderus, nostri seculi miraculum, in libris suis de catharris multa auro, cedroq; digniora consignavit,) per quos fluit è cerebro humor. per aures, per oculos, nares, palatum in guttur & gulam, per venas in medullam spinalem & sanguinem. Galenus p. 13. art. [parv. p. 166.] quatuor statuit canales, palatum, nares, aures, oculos. Idem sentit. cap. 3. lib. 2. de Loc. affect. & I. de Tuend. Sanit. Sed Commentarius in aphorismos Sect. 1. palatum & nares tantum numerat, ut Cap. 9. lib. 1. de Usu part. Declives, inquit, cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium conspicuis ac magnis orificiis crassa eruantur Excrementa. De Sympt. Caus. & 8. de Us. part. solum vult palatum esse idoneum expurgationis locum, dum animal bene coquit. Nares n. ad aëris & odoris transpirationem tantum. Comment. ad aph. 24. Sect. 3. Expurgationem per aures alienam à natura scripsit, puerulis exceptis, quibus per aures cerebrum expurgatur. Comment. Prog. 20. §. 1. expurgationem per oculos non vult esse naturalem. Inde videtur, quam variè & inconstanter sentiat Galenus de ductibus excrementorum cerebri. Alii, optimam se habere censentes sententiam, varia cerebri excrementa existimarunt, pituitosa, biliosa, melancholica, per varios ductus expurgari. Eo-

rum a. alios esse ordinarios, in naturæq; maximè familiares & consuetos, alios extraordinarios, nec ita convenientes. Ordinarii ductus pituitæ expurgandæ dicati sunt palatū & nares; magis tamen palatum, quia nares primariò ad odoratū constructæ sunt. Hinc quidem aliàs Celeb. Anatomicus docet à tertio cerebri sinu ductum ferri conspicuum ad anteriorem cerebri basin, in cuius extremo tenuis membranæ particula quædam, primùm latior, deinde angustior infundibuli instar conspicitur, *πύλον καὶ κοανήν* Græcis, Latini pelvim & infundibulum vocant, per quod sensim pituitosus humor, tanquam per Hippocratis manicam colatur: aqueum hunc humorem excipit pituitaria glandula spongiæ instar, quem tandem per cunei foramina pedetentim in os & palatum instillat; quod si aliquando superioris cerebri, ventriculi mucosâ illuvie affluant, stillat per tubercula mammarum pupillæ simillima in ossa cribriformia & nares: biliosa per aures expurgantur continuò. Quidam in hunc modum philosophantur, ideò rejici biliosa per aures, ut calore & siccitate tuncantur aurium ossa præ siccitate sonora. Pituitosa v. per os & nares expurgari, ut patuli ii humiditate meatus, prohibeantur sicari. Extraordinarii v. ductus, per quos cerebrum humorum copiâ oppressum, interdum sese exonerat, sunt oculi spinalis medulla & nervi; inde Paralysis. Fabianus Scheinerus lib. Idiom. Germ. de Catarrhis consignavit. sorte fortunâ cum in finem, ut vulgus catarrhum faciliùs dignosceret & curare posset; verba ejus ita sonant. Es sind dreyerley Flüsse von den Haupt herab fließend/ einer durch die Nase/ und derselbe heist Coryza, der andere durch den Hals herab auf die Lungen und Brust und heist Catarrhus, der dritte inwendig durch den Rachen des Mundes/ und heisset Branchus: Porro, wir sehen auch / wenn sie aus den Ventriculis cerebri in Hals und asperam arteriam fallen/ wie Heißherkeit/ und da sie auff die Lungen und Brust kommen/ Husten/ feuchen/ schweren Achen/ Seitenstechen / Seitenwehe/ und oftmahl Schwindsucht und die Dürre gebahren. Wir spüren des gleichen / wann sie dann herabweris in den Magen fallen/ wie sie cruditates oder undäunungen/

ungen / Vomitus Würgen und Brechen; Wann sie aber in die
Därme kommen / & auch flöße erregen / und wann sie von dannen
in die Leber gezogen werden / wie Sie dieselbe auch und ihre enge
Adern verstopffen / daß auch unterzeiten febres, bißweilen Seel-
sucht / ja auch Wassersucht daraus erfolgen: Ex hujus Autoris
verbis colligere est, materiam de cerebro in gulam cadere,
& inde oriri pleuritidem. Vöxn. Rachen und Hals / nunc gu-
lam tantum, modò tantum gutturis fistulas, nunc utramque
Germanicè dicimus quam confusè. E. & Patria lingua ex-
ponitur. Dyander. Der ander durch den Hals auff die Lungen
und Brust und heisset Catarrhus, der dritt inwendig in den Ra-
chen des Mundes / und heisset Branchus &c. Nobilissimus Dn9.
D. Schneiderus Præceptor noster humiliter devenerandus in
lib. suis de Catarr. cuncta non modò accuratè examinat; sed
& prudenter explodit. *Feruntur, inquit, tres opiniones,
que sponte sua ruunt: Prima est pituitam per selle equine forami-
na, deorsum ad fauces meare, hujus Galenus autor est. Secunda
opinio est, phlegma. & per hæc selle equine & per vasorum forami-
na ad palatum delabi, uti Nicolaus Massa, & ex parte Capivaccius,
nec non Ingrassias, Falkenburgius & alii sentire videntur. Tertia opi-
nio est, tantum per vasorum foramina pituitam ad palatum & os
ferri: Porro. Ad primam potius, inquit Vir Nobilissimus, & secun-
dam, quàm ad tertiam spectabit illa opinio, quàm nonnulli persuasiss-
imum habent pituitam de cerebro & de glandula pituitaria, in sub-
jectos Ossis Sphenoidis specus labi, & hinc ad nares gradum facere.
Nam si pituita per foramina vasorum de cerebro emittitur, illa ad has
cavitates nullò modo pervenire potest, cum foramina à latere earum
sint efficta. Ergò talis materia per primam selle equine tabulam,
quam credunt esse perforatam, in has specus eat, oportet.*

Hic minimè præteriri potest quæstio, an cerebrum Spi-
rituum animalium officina, & simul receptaculum pituitosi
humoris sit? Galenus lib. de usu part. 8 c. 10. ita disserit: An-
teriores duo ventriculi inspirationem, expirationem, ef-
flationemque è cerebro efficiunt; nec minus quoque demon-
stravimus, quod prius quidem conficiunt ac preparant ipsi
cerebro Spiritum animale, simul ac veluti ductus quidam
ac ca-

ac canalis ad superfluam effluxionem accomodus. Nec non lib. 3. de Loc. affect. cap. 7. hanc sententiam prolixius stabilire videtur: *Cerebri, inquit, anterior venter est sensibilis, in duas partes dextram & sinistram, & hac pars iuvat ad expulsionem superfluitatum, & ad partiendum plurimum Spiritus sensibilis.* Quidam circa hanc Questionem partes Galeni tuentur, nonnulli in dubium vocant. Varrolius credit, naturam hic magis ad excrementa & purgamenta cerebri ejicenda respexisse: Si plexus, ait, illi glandiformes depascuntur cerebri humidum superfluum, existuntque in ventriculis, concludendum mihi necessario videtur, ventriculose esse locum predicti humidi, & propterea id precipue factos fuisse, eadem ratione, quam vesica & locus serositatis Sanguinis, & reliqua similia. Hippocrates ejusdem farinae sententiam cum Galeno fovet constanter lib. de Hom. Structura. *In principio hominem constare ex quatuor humoribus & assignando proprium locum, Sanguinis & Spiritus in corde, flava bilis in jecore, atra bilis in liene, & pituita in cerebro.* Si locus pituitae est in cerebro, asserendum est, esse aliquam cavitationem, quae aliquid continere possit, in cerebro exculptam, quemadmodum sunt ventriculi cordis, vesica jecoris, & spongiosae porositates lienis; exceptis v. duobus ventriculis primo commemoratis, nulla alia est cavitas in cerebro, nec magna, nec parva: E. concludendum omnino videtur (nisi Hippocratem mendacii accusare velimus) ventriculos cerebri esse receptaculum humoris pituitosi. Mox notum est omnibus, pituitam destillare a cerebro ad os, per infundibulum ad palatum. Si itaque animadvertatur dispositio partium, per quas pituita transit, cognoscitur facile eam primum in ventriculis coacervari, nil n. aliud in cerebro existit, ad quod infundibulum exitum habeat, nisi uterque ventriculus, imò a cavo ventriculorum ad extra nihil est pervium. Concludo itaque ventriculos cerebri hunc habere precipuum usum, ut sint receptacula humoris pituitosi, qui in cerebro gignitur & per palatum expurgatur. Neque hoc repugnat sententiae communissimae existimantium, eos esse locum Spiritus animalis, cum unius partis plures utilitates

tes confignari possint. Quidam contra hanc Galeni & Hippocratis sententiam pugnant, inter quos antesignanus est Archangelus Piccolhomineus, qui hos ventriculos existimat ob Spiritus animalis generationem à natura conditos maximè fuisse: *horum ventriculorum* dicens, *usus est duplex: Primarius & Secundarius: Primarius est triplex, ut ii ventriculi sint tanquã promptuaria quaedam atque thesauri, in quibus continetur & conservatur Spiritus animalis effusus in eos à Choroidibus plexibus, ut hic semper præsto sit ad animæ sentientis in omne corpus transvectionem, illiusq; facultatum omnium actiones edendas. Secundarius, ut in iis aër per nares & os ethmoides in ventriculos attractus elaboretur, eò afficiatur, præparetur, ad Spiritus animalis nutritionem & refectiorem, sicut præparatur aër in pulmonibus ad Spiritus vitalis & refrigerium & recreationem &c.* Tertius usus est, ut contineat plexus Corrhoides propter commoditatem effundendi Spiritus animalis in ventriculos. Alii de sede Spirituum ita disserunt: In Jecore est vis ingenita spiritum naturalem conficiendi, quem in radicibus venæ tum cavæ, tum portæ perficit: Et in corde vis innata insidet Spiritum vitalem conficiendi, quem tantum in sinistro suo sinu absolvit: Ita cerebrum ejusq; medulla est opifex Spiritus animalis, quem in admirabili contextu inchoatum, summò caractere, omnibusq; suis partibus ornat & perficit in textibus Choroidibus. Denique Spiritus, ut vocant Spermaticus elaboratur in ipsis testiculis: inde concludunt hi Auctores, & firmiter statuunt, Spiritum animale in cerebro generari posse, non obstante excremento privato cerebri. Valverta: *Ventriculorum munus est animales procreare Spiritus.* Laurentius: *Primus usus ad Spirituum animalium elaborationem, secundus ad inspirationem & expirationem cerebri. Tertius ad odores suscipiendos.* Varolius inquit, cerebrum nutritur, in nutritione semper excrementa segregantur, potissimum in cerebro; hinc ventriculi sunt, in quos tanq. cloacas crassa Excrementa deponuntur. Galenus & omnes ferme Recentiores ambobus pedibus in hanc sententiam ivère, statuentes in omnibus ventriculis cerebri crassos humores coacervari, ut in repletionem eorum & compressionem in ipsis factis non modò catharrus, sed & ipsa apoplexia

*xia fiat. Hæc & familia Veteres, Recentioresq; de Catharro
statuebant. Verùm, quàm turpiter impingant. & à Nobil.
Dno. D. Schneidero, Viro consummatissimæ Eruditionis re-
futentur, in confesso est: adeamus licet ejus libros de Cathar-
ris aurô, cedroq; pretiosiores, & inveniemus, quod ad vias
attinet, esse nullas. It. lib. 2. de Catarrhis firmissimis sanè ra-
tionibus probatum it, pituitam & excrementum pituitosum,
insuper cutem capitis, nec destillare, nec per os ullô modô
emanare posse. Iccircò lib. 2. pag. 7. pluribus demonstrat
catarrhum, h. e. pituitam, non de cerebro, tanq. privatum
excrementum oriri ac descendere; ast potius ex M. S. ideoq;
ejus materiale, una cum Sangvinis circulo circumvehi, ac
tandem in extremitatibus egeri & ejici. Verba ejus sic habent:
*Verùm nos hîc satis habemus dixisse, humorem inter cutem capitis
& cranium fluentem, non posse directâ viâ ad os cribriforme, nec os
cuneiforme pervenire, ut illi catarrhi vel ad nares, vel ad os fiant.
Nec existimabile est, humorem per membranam pericranium dictâ,
tanquam per aliquam continuitatem viarum, in hæc illorum ossium
foramina, aut in illam inferiorem capitis regionem se ducere posse:
sive humor ex vasis supra pericranium, sive infra illam membranam
extruditur, id nullô modô vel ad nares, vel ad fauces delabi pote-
rit. Nam humor aut inter cranium & pericranium ad hæc forami-
na penetrare debet. Equidem, si pituita cerebrum occuparet,
vel ventriculos oppletos teneret, in omni cortè catarrho gra-
visimi morbi homines comprehenderent. unde Hipp. lib. de
morb. 3. Sidere uti dicuntur esse, cum multâ vitiosorum humorum
illuvie, cerebrum oppletum fuerit, in primis Capitis pars anterior
ipsis dolorem exhibet, sopor eos detinet, mente alienantur. Quam
tenuitatem substantia cerebri habeat, hi nobis procul dubio
assensum sunt præbituri, qui sectionibus Anatomicis inter-
fuerunt. Mollissima sanè cerebri Substantia, sæpe enim inter
manus contrectantium tabescit, qui ergò illa tam crassos hu-
mores coercere poterit? Nonne illi exitiales semper morbos
excitabunt? Si materia catarrhi, inquit Trincavellus, est cras-
sa, non validum purgans sit, ne materia ad ventriculos cerebri defe-
ratur, & hinc Apoplexie & Epilepsie oriantur. Quàm tenuis est
insu-**

insuper plexus Corrhoidis, quàm subtili textu cohaeret?
quàm facile ergò à crasso & acri humore vulnerari posset?
Credat Judæus Apella, cerebrum pituitam habere, & circa
cerebri ventriculos humores coacervari, sanè totum cere-
brum è capite ii nobis emunxisse videntur, quicumq; cere-
brum pituitâ inundari asserunt. Quid enim absurdius fingi
& excogitari posset, quàm cerebrum esse instar cucurbitulae,
& spongiæ, quod cunctos vapores partim ab Epate, Liene,
ventriculo, utero ascendentes excipiat. Purum figmentum
est, pituitam de cerebro per os cribriforme percolari: tradi-
tio nuda est, cerebrum in perpetuo esse motu, & aërem instar
follis recipere, & iterum ejicere. Omnis certè materia &
humor, de quo Catharrus nascitur, inest sanguini, huicq; mi-
stus vasculis circumfertur, ad omnes corporis humani partes
tandem cogitur, & de his emittitur. Natura certè est reatrix
Sanguinis, boni conservatrix, mali exatrix & expultrix. No-
bilissimum sanè Nobilissimi Dni. D. Schneideri judicium
circa hæc nobis erit depromendum. Sic n. ille in suis Lib. de
Catharr. Nunc si meum judicium vis interponi, quæ mihi
verisimilia videantur, paucis exponam: Arteriæ materiam
Catarrhi in caput promovent, de eo eam revehunt in M. S.
De hac eam & ad caput & ad renes possunt arteriæ remittere.
Ex hls sanè manifestissimè patet materiam Catarrhi omnem
esse in M. S. & per consequens non in cerebro, nec ejus ventri-
culis; inde neque per os cribriforme perfluere posse. Verum
enimverò si quispiam hîc Antagonistarum exciperet grumo-
sum sanguinem nonnunquam ejici per nares. R. non à cere-
bro illum decidere posse: foramina n. ossis cribriformis sunt
præclusa, & obturata; præjacet quoque os spongiforme. E.
contendimus eum grumosum Sanguinem ex vasis narium esse
depromptum. Nam ille interdum mucum instar sudoris eji-
cere solet, nonnunquam una cum illo non nihil cruoris ex-
cernitur. Si homo Coryzâ laborat, plerumq; aquatiores hu-
mores cadunt, aliquando a. in illa sanguinolenta filamenta
observantur, quæ certè de cerebro trahi non possunt; atque
si quis nares vehementius emungit, itidem sanguinem mucô

confusum projicit. Præclarè, Laurentius Eustachius; Notum est, inquit, quod is, qui vehementer emungit nares, sanguinem eliciat, unde :

Qui nimium emungit nares, pro phlegmate guttas
Sollicitante manu sanguinis, eliciet.

Ratio est manifesta, quia interna narium superficies, membranâ quâdam à dura matre exortâ investitur, quæ nonnihil carnosa & sensilis est, multasq; recipit venulas capillares. Inde fit, ut si vel digitis, vel acriori herbâ nares leviter fricentur, hæc pars sensilis incalescat, oscula venarum adaperiat, sinatq; ex iis sanguinem stillare, in primis in corporibus junioribus, ubi abundantia sanguinis adest. Hæc cum ita sese habeant, asserimus Catarrhum, h. e. pituitam de cerebro labentem nequaquam causam Pleuritidis existere. Et licet pituitosus humor, tanq. causa primaria, inflammationē hanc pulmonum causetur; asserimus tamen id fieri non per defluxū à cerebro, sive descensum per os cribriforme; sed potius ex totius M. S. vitio accidere, naturamq; suppeditare materiam Catarrhalem, exque arteriis & venis in pulmonum modò dextram, modò sinistram partem projicere. Et si spectemus pulmonum Substantiam, fateri necessum habem⁹, esse eos Substantiâ adeò tenerâ & molli præditos, & infinitis vasis, sc. venis & arteriis refertos. Et cum pulmones Colatorium sint Sanguinis, & is aliquantulum exactius in iis perficiatur ac elaboretur, haud exiguum excrementi, & tali concoctione & depurgatione ibidem stagnare. Insuper ex venis in pulmonum Substantia diffusis, multum icorositatis exsudare, unde sputum fit, idque postmodum à substantia pulmonum spongiosâ recipi, nullum fore dubito, qui hæc in dubium vocare velit. Quoniam itaque hæc cum ratione congruunt, vasa n. semper infarcta sunt sanguine, hinc quicquid superfluum est in pulmonibus, excolatur, & postea per bronchia ejicitur, & per sputum expurgatur. Si itaque talis materia pituitosa, dum è vasis in pulmones delata, & vel suâ mole, vel lentore & crasitie nunquam possit ejici, cogitur ipsa vasa angustiora ita replere & obstruere, ut coarctatâ ca-

loris

loris transpiratione in causa fit; quò calor accedat incen-
fo & pulmonis inflammatio. Hipp. lib. de Intern. affect. S. 5.
p. 533. in verba nostra inclinare videtur: *Pulmonum*, inquiens;
inflammatio ex his verè fit. Cùm ad se pulmo sanguinem vel pitui-
tam salsam traxerit, neq; rursus dimiserit, sed ibi collecta & coacta
fuerit. Materia n. talis ad pulmones mediante sanguine ten-
dens, cùm per urinam & alia loca excretiora ob crassitiem nò
possit expurgari & excerni, necessum est, per pulmonum
vaforum lævitatem & laxitatem in Substantiam pulmonalem,
utpote laxiorem & subtiliorem transcendi; quod a. accidat
talis in pulmonum vasis transfusio & trajectio, id ipsum Exē.
plò unicò comprobari potest; cùm quæritur, An & calculi
in pulmonum substantia generari possint? & extra omnem
dubitationis alcā positum esse, & ipsam Experientiam hac in
parte nobis suffragari, generari posse calculos in pulmonib9,
& in eorum substantia hæere. Inde concludimus, si atomosa
& calculosa Substantia in pulmonibus subsistere potest, quid-
ni talis materia viscosa, & magis applicabilis. Tota salus ver-
satur circa hanc rem in Lib. de Catarr. Magnif. Dni. D. Schnei-
deri: ponamus igitur ejus verba, necesse est: *Peripnevmonia,*
inquit, Cap. 6. l. 3. p. 208. tradunt Scriptores Medici, à destillatio-
nibus Capitis originem suam trahere, ut Ben. Viét. Favent. Amatus
Lusitanus, & alii: Vehementissimè his reclamant Botallus, qui ne-
gat Catarrhum ex capite in subiecta membra defluere posse. Et in
sequ. bisce fatur: Quin intelligendum est, morbos pectoris à M. S.
potius oriri: Minimè materia per palatum & laryngem destillat. Et
porrò in sequentibus. Dicimus ergò humorem noxium, de quo illi
morbi, Pleuritis, Phrenitis, & Arthritis nati fuerunt, vasis interdū
recipi, illum etiam M. S. misceri, ac de ea per arterias ad varia
membra expelli posse. Pleuritis ergò & Peripnevmonia ab inferi-
ori corpore oriri possunt, quanquam non negamus sanguinem de ve-
nis capitis ad pectus tam ubertim fluere posse, ut hinc tales morbi
nasci queant. Nonnunquam a. etiam materia noxia ab arteriis ex-
pellitur in musculos thoracis, ut Dispnoëa hinc existat. Viderunt a-
liquid ante me nonnulli, ut Trincavellus & Platerus: Catarrhus,
inquiens, erat cùm respiratione difficili; Difficultas respirandi nò

oritur à destillatione ad pulmones ; sed puto, quòd aliqua ejus pars tenuior feratur aut per nervos, aut etiam per venas ad musculos thoracis. &c. Ex his citatis patet, quàm humaniter quidam Medicorum statuerint & satis creduli crediderint, omnem materiam, five hæc collecta fuerit in pulmonibus, aut hepate & aliis corporis inferioris visceribus, ab unico capite præcipitari. Hi boni caput & excrementum privatum cerebri unice crepabant, relictis venis & arteriis cum M. S. Verum enim verò, cum tota res, ut paulò ante manifestavimus, contrariò modò se habeat, asserimus tandem ex mente Magnifici & Excell. Dn D. Schneider. (quantum n. scimus de Catarrhis, tantum huic debemus) materiam pituitosam s. Catarrhalem, non à Capite, tanquam Terminò à quo fluere ; sed potius totius M. S. Excrementum pectori s. Terminò ad Quem, ubi Pleuritidis natura & causa proxima existit, communicari. Porro & illud refellendum est, quando asserunt & omnimodè contendunt, quòd ex Epate, liene, ventriculo, & reliquis Corporis inferioris partibus vapores ad caput ascendant, ac eò modò, quo Aristoteles, Philosophorum aliàs Princeps ait: In secunda regione aëris vapores, condensantur, & in pluviam postmodum convertuntur & descendunt. Ast hæc cuncta nobis sunt Entia rationis, & nequaquã cū veritate cògruunt. Cùm itaq; hæc mera sint figmenta & nugæ aniles distinctionem tamen dare placet ; vapores modò ascendere, modò descendere certè possunt ; sed non secundum præfatum modum ; verum aliò sc. cum M. S. h. e. Sanguinis circulo, modò ad caput, Epate, uterum, & alias partes circum vehuntur. Nullæ enim ab Epate, Liene, ventriculo, utero patent viæ, quæ immediatè tenderent ad cerebrum, quàm venæ & arteriæ, & præterea septum transversum intercedit ; quin & Thorax, à quibus si daretur vaporum elevatio, sanè interciperetur. Et si è ventriculo per oesophagum possit ascendere vapor ; ultra palatum tamè egredi non potest, verum per sputum ejicitur. porro ex absurdo: Posito, ac non concesso, si daretur talis à partibus inferioribus vaporum ad caput ascensio vel elevatio, omnes certè homines perpetuò affligerentur catarrhò & destillationibus, quod tamen minimè fit. Interim tamen non negaverimus hoc vel illud Subjectum magis catarrho affligi præ alio

lio



lio ob certas rationes; sc. si homo diætam non curet, quotidiè sit ebrius, hic certè plus. Catarrhò & destillatione laborabit, quàm qui diætice se gesserit. Unde etiam rectè sentitur vinum & potulentam materiam augere Catarrhum. Quod concernit similitudinem Aristotelis, ea magis dissimilitudo est. Magnum certè dubium in præsentiarum solvi vult. Cùm caput etiam Excrementa pituitosa à venis & arteriis inde allata recipiat, quæritur, per quæ loca illa ejiciat?

Veteribus via s. locus erat os eribiforme cuneiforme, & sic porrò. Has vias omnes tãquã erroneas abjicit Dnus. D. Schneider l. 3. de Catharr. p. 210 & respondet, membranã, quæ additamentũ ossis occipitis in ultimo palato involvit pituitam s. materiam catarrhosam condete, continere, & emittere: Qvi a. hæc emissio fiat, seqq. exprimit: Si verum, *Catarrus sudatione potius fit, quàm destillatione; nam humor in sudantibus his membranis confluit & nunc pendet, modò in exscreando projicitur: Interdum quidem tenuior humor & copiosior cadere videtur. Caterùm Natura eam membranam ad lentum humorem imbibendum & in modum sudoris emittendum, per quàm callido artificio, figuravit, ut supra palãm, fuit. Venæ illius mucis circa scatent. Unde tanta quoq; vis ejus potest subinde abunde affluere. Tardi ingenii est rivulos confectari, fontes rerum non videre, jamq; & naturæ recordermur, quæ humorum rectorix. Huic satis ad carnis membranãq; poros aperiendos solertia est, ea cum sanguine, profluit, vapordum Spiritum, quò extremum vasculum distenditur, ac si iter prætendatur, tenuiusq; sanguine serum ferre; imò impetu impellit ad conniventia oscula vasorum, ut illud subsequenti sæpe pituitæ spissiori faciat viam, quanquam limpidissimus humor, & pellucidior vitrò possit spissescere in glaciem, arescere in pulverem, & in lapidem deniq; durefcere. Plura videantur ap. Excellentissimum Dnum. D. Schneiderum. Hinc in varias quæstiones delabi possumus, Nimirum quæritur, An pituita secundum veteres descendat à capite in asperam arteriam, in oesophagum, & sic porrò? Verùm cùm hæc prolixiolem chartam requirant, cuncta tractare, primam saltem quæstionem exentemus. Verùm est, multos in hac oppinione fuisse, imò constanter;*

ter afferuisse, potulentā materiā in pulmones, per asperam arteriā
labi. Euripides ait: οἶνός περὶ τὸ πνεύμονος διὰ τῆς οὐσ. Vinum
penetrans pulmonum meatum. Plato in Timæo ait: Cum verò
cognoscerent Dii Conditores nostri, Cor rerum terribilium, objectū
trepidaturum, & irā sepius flagraturum, idq; opus omne perignē fore
estus ejusmodi temperandi gratia, pulmonum tegmen cordi adhibu-
erunt, molle primum & ex sanguine, deinde cavis extrinsecus fistulis
spongiæ instar distinctum, ut spru, potuq; hausto Cordis ardorem hu-
jusmodi respiratione & refrigerio tepesciat, quā ob causam ar-
terias, tanquam ∇ & ductus per pulmonum Substantiam derivarunt,
eāq; cordi, quasi mollem saltē circum dederunt, ut quando nimia fer-
veret irā, inde ad faciliorem obedientiam temperatum deferreat,
sed atq; tumultuationi facilius ministrare & obsequi valeat. Hæc
Platonis Autoritate quidam firmiter innixi addstruunt, asperam
arteriam esse viam potulentæ materiæ per sc. asperam arteriam
potum deferri in pulmones, & inde pulmones esse receptacu-
lum potūs: hanc sententiam confirmare conantur variis argu-
mentis: I. Alcæus jubet pulmones humectare vinō. Euripides
dicit, vinum in pulmonum penetrare meatus. Plato dicit, po-
tu hausto refrigerari calorem cordis. E. per asperam arteriam po-
tus in pulmones labitur. Verū hæc opinio neq; ἀυτοφία. re-
spondet, neq; rationi est congrua: licet multi Medicorum do-
ctissimi & Experientissimi hanc mentem habuerint; tamen nos
firmioribus rationum monumentis innixi, experientia Magistrā
hanc sententiam negamus & pernegamus. Certè nihil aliud
devenire potest in pulmones, quā Spiritus l. aër, quem inspi-
rando ejicimus: adeoq; res firmo stat talo, nihil quicquam de
potulenta materiā quantā etiam ea sumatur in copia in asperam
arteriam illabi posse. Etenim non possumus simul aerem hauri-
re, & simul potum immittere; quō pacto aspera arteria simul po-
tūs & aëris receptaculum esse possit? Certè pulmone potu ex-
pleto, neq; respirare, neq; vocem edere homo posset, si potulen-
ta materia immediatè transiret ad pulmones, medicamenta pur-
gantia potu assumpta, facile substantiam pulmonis, quæ est
rara & spongiosa, & velut à spumoso Sangvine concreta, exul-
cerarent, & tabem inducerent. Non rejicimus irrigationem
asperæ

asperæ arteriæ & pulmonis, imprimis in tussi, ubi syrupis mede-
mur, quæ necessariò requiritur, eam v. Sententiam ex pome-
ris Medicis ablegamus, quâ statuitur, pulmones esse recepta-
culum potulentæ materiæ. Deinde irrigatur pulmo, per mutuum
tunicæ contactum Oesophagi & asperæ arteriæ. Cùm enim u-
triq; Canales, unicam habeant membranulam propter propin-
quitate & affinitatem, alteri facillè suam qualitatem communi-
cat. Accuratissimè hac de re Magnit. Dnus. D. Schneider lib.
3. de Catarr. c. 5. p. 36. disserit: *si quædam portio, in quædam portionis
inter bibendū in pulmones semper traheretur. illud viscus unâ noctur-
na per potatione & conuictu refecti iretur. Quanta enim vis potulenta
materiæ in ramis asperæ arteriæ accumularetur? nōne ea hic stagnabu?
Nā nō potest decurrere. Nec pulmonū vasa illā imbibere posse videtur,
cū sit tam cruda, & rami asperæ arteriæ sunt itinera animæ si illa
materiam potulentam conciperent, nonne Spiritum omninò inter-
cluderent. Si gutta ex potu in laryngis cicutam in bibendo aliquan-
do deerrat, quàm vehementer homo torquetur. Si hoc fieret, &
potulenta materia in pulmones laberetur. Itaq; Materiam potu-
lentam vel pituitam posse in laryngē labi, hominē dormiente &
nihil sentiente, meritò ambigitur: Nam laryx est sensus ex-
quisitissimi, huic pituitæ crassities & acrimonia, hominem sem-
per ex somno excitaret, ut tussiret. Ita sanè se res habet, in primis si
quispiam somniaverit somnū, Phantasiaq; illi suggesserit, lautos
& oppiparos cibos, extra controversiam inter somniandum os &
larynx movetur, si aliquando accidat, ita, ut guttula fortè for-
tunâ in laryngem incidat, homo somnians expergiscitur, &
tussis non cessat, donec facultas Expultrix illapsam guttulam
ejecerit. Cùm n. cibum capimus, arctissimè Epiglottis clau-
ditur, inde, quandò deglurimus aliquid, sive sit potus, sive cibus,
Spiritu interceptatur via. Circa hanc quæstionem quidam An-
tagonistæ pro aris & focis dimicantes, nobis autoritatem & Ex-
perientiam Hippocratis objiciunt: qui potum in asperam arte-
riam delabi ita probat. Si quis aquam cœruleo colore aut
rubricâ tinctam, valde sitientibus bibendum dederit, maximè
porco; hoc n. pecus non est curiosum neq; munditiei deditum.
Deinde, ubi bibit, ipsius guttur aperit, hoc colore ipsum tinc-*

D

tura



tum reperit. Alii per instantiam, laryngis & oesophagi affinitatem ignorantes, ad Experientiam concurrunt. Sunt, inquit, nisi per asperam arteriam ad latera aliquid afflueret, frustra in thoracis affectibus, Eclegmata, Syrupi, potiones thoracicae, tabellaeque praescriberentur. Quae omnia expectorationem in thussi, asthmae, sputum promovent, teste Experientia. Ast haec scopae dissolutae sunt. Experientiae Experientiam, rationi rationem opponimus. Quod experimentum concernit de porco sumptum, negamus, & est februarius frigidus: quidni in aliis animalibus, utpote canibus, felibus evenire posset, Sumat modo quispiam canem, eique aquam dulcem croco & tincturam rosarum mentitam praebet, vel vi, apertoque, rictu injiciat, eumque post deglutitum potum secet, nullatenus asperam arteriam tinctam inveniet.

Ad secundam Exceptionem accedendum est. In ea n. asserbatur, Syrupos, Eclegmata, Lohoch in asperam arteriam delabi. Ne v. & haec intacta abeat, quod sc. immediate Syrupi & potiones thoracicae in laryngem proficiscantur, audiamus Excell. Dnum D. Schneiderum, his cunctis lucem praebentem: Verba ejus l 3. c. 5. p. 537. ita audiunt: *Si tali syrupo gula rigatur, ob communem tunicam rigatur & larynx.* Et paulo post: *Si syrupum lambas, non distat, an eum rigidus Celsus, an resupinatus trabas, nihil ejus inter deglutiendum itat in pulmones: Nam larynx semper similitudine clauditur, si quid capitur.* Omnes igitur irrigationes, quotquot fiunt in thussi, caeterisque affectibus thoracis, fiunt per communem tunicam: h. e. si Oesophagus emollitur Syrupo, etiam tunica asperae arteriae rigatur. Si v. denuo quis exciperet, humores nonnunquam in aspera arteria fuisse inventos, modo biliosos modo croceos, aliique coloris &c. His a. si fides adhibenda, (adhibemus autem exigua, vel plane nullam) asserendum est colores in asperam arteriam per transcolationem, insudationem, imo per poros ignotos venisse. Ne itaque Andabatarum more pugnemus, adhuc semel pernegamus illam sententiam, quam statuitur, mucum de capite in pulmones descendere. Et licet aliquid ex liberalitate de his Autoribus concederemus; nequaquam tamen
sequer-

sequeretur, quicquam potulentæ materiæ in pulmones labi pos-
se. Fortè affirmabis integram pituitarum cohortem, quæ per
tussim ejicitur è capite, h. e. à cerebro in asperam arteriam destil-
lâsse. Falsum statuit, quicunq; hoc statuit. Proh hominum
fidem! omnes certè homines perpetuò Pleuritide, Peripnevmo-
niâ, Asthmate laborarent. Si à humore pituitoso à capite de-
labente Pleuritis & Peripnevmonia fieret, sequeretur, iterò vo-
cem, omnes hanc destillationem patientes, Pleuritide Perip-
nevmoniâve laborare. Ad absurdum tales reducendi sunt,
quippe, ponamus Casum: Hipp. ait: Autumnò destillationes
& Catarrhi potissimum fiunt, unde verum est, quòd autumnali
tempore, potissimum homines Catarrhis afficiantur. Jam, di-
camus esse ducentos vel plures homines in quadam civitate, qui
ad unum omnes catarrhò laborarent, ii sine dubio omnes la-
borabunt, aut Pleuritide, aut Peripnevmoniâ. Absit verò,
quin hoc statuamus, pauci certè affectione hâc corripuntur.
Cæterùm cum hæc omnia ita sese habeant, supererit vela de iis
contrahere. Statuimus itaq; omnem materiam, quæcunq; eti-
am illabitur in pulmones, ac eos adimplet, respirationem inhi-
bere, labefactare vocem, tussimq; excitare, à cujus auxilio per
sputum excerni, non a. à capite derivari, & inde in pulmones
labi, sed ex venis & arteriis quæ ex Cava, aortâq; derivatæ in
Cor sese diffundunt, & inde sese in asperam arteriam
insinuant, scaturire. Magnif. Dnus D. Schneider lib. 3. de
Catharr. C. 5. p. 538. sequenti rem vivò penicillò depingit: *Intelli-
gendum igitur est, laryngis integumentum hujusmodi mucum per va-
sa laryngis desudare. Hæc hæc est vera Causa humiditatis, quam
Autores deprehenderunt. Hæc non multum differt ab eo muco quæ
emittit membrana pituitaria, nisi quòd hujus mucus sit redundantior,
crassior, densior & viscidior; laryngis verò pituita sit mollicula, te-
nuior & minus glutinosa.* Et certè in tussi vel asthmate rauc edo,
in illaq; materia levatur Syrupis & potionibus thoracicis; non,
quòd hæc immediatè in asperam arteriam descendant; sed poti-
ùs levamen fiat per irrigationem & transudationem ob tunicâ
communem, quam inter sese habent oesophagus & aspera arte-
ria, uti superius declaratum est. Tunica hæc, postquam irri-
gata & irrorata est, asperam arteriam & pulmones certè hume-
stat,

erat, mollioresq; efficit. Inde facilitatur materia, & exspuitions citatiores fiunt, ut testatur D. Schneiderus his verbis: *Eclegmata in laryngem internam haud labuntur; non a. ob eam rem frustra deglutiuntur, si ruffis infestat. Nā si larynx vel per se, vel ratione pulmonum affligitur, semper gula etiam, quā laryngem attingit, vitiosè afficitur. Constat, inquit Celsus ex circulis, ita tamen, ut ex parte exteriori aspera, ex interiori Stomachi modò levis sit. Si igitur tali Syrupo gula rigatur, ob fere communem tunicam rigatur & Larynx, ut subsequatur ex facili humor.* lib 3. Cap. 5. p. 534.

Concludimus itaq; rem sive causam primariam cum auctoritate Felic. Plateri de Pleuritide ita differentis; Nos v. non tantum in Peripneumonia; verum etiam in Pleuritide, quā veram vocant, pulmones inflammatos fuisse, praeterquam quòd in Mortuis aliquoties pectore aperto spectavimus; ut vel solum hoc ad sententiam nostram veritatem comprobendam possit sufficere, & rationibus hisce certis sic se habere, evidenter possumus demonstrare, quòd sanguis, quem tam subito exscreant, à tunica succingente inflammata tam citò praesertim per pulmones, ejusq; vasa ad exspuitionem penetrare nec suppuratā eā, pus ex eo loco transitum, sive per pulmones, illis non laesis aut ulceratis facere, & sic ad excretionem usq; perferri minimè potuisset; Sed potius, si inde emanaret, in cavitationem thoracis efflueret, atq; ibi Empyema generaret. Quae proin cum in Pleuritide ita im & copiosè interdum excernantur, ut in Peripneumonia, haec à pulmonibus provenisse, nec aliunde eò pervenire potuisse satis declarant. Sicut & accidentia reliqua utriq; affectui communia eandem sedem affectam, s. pulmones esse, luculenter ostendunt, unico exceptò hoc, pulmones in Pleuritide non inflammari, quòd dolor pungitivus, qui in Pleuritide manifestus est, in Peripneumonia obscurus vel nullus, non possit propter pulmones affectos accidere, quippe, qui in parte sentiente & membranosa, cujusmodi pulmones minimè sunt, tantum fieri queat. Cæterū nec hoc, etsi puncti nes hæ succingentis membranae causa accidat, pulmones propterea minus inflammari in Pleuritide, quā in Peripneumonia, cui in cæteris omninò similis est, sufficienter evincere, sed hoc saltem inde potest, quòd nimirum, si (uti & re se revera habet) pulmones tantum inflammentur in Pleuritide, modò in de-

xtro, (modò in sinistro latere, pulmones enim distincti sunt
mediastinò: Inde etiam dolor, si in dextro latere, lobus de-
xter, si in sinistro, sinister erit inflammatus, unde Pleuritis.
Atque hæc de Causa immediata dicta sunt.

CAPUT V. Causas Externas rimatur.

Abolutâ causâ *πρώτως* sic dictâ, ad causam *δευτέρας* s. se-
cundariam accessum facimus. Ubi non immeritò sex rerum
nonnaturalium usus observandus est. Senex Cous aërem,
ut causam Pleuritidis externam maximè agnoscit. Sect. V. p.
281. *Äër, inquit, frigidus & aquilonius, ad australem proxi-
mè accedens pulmonibus maximè insidiatur.* Et porrò. *Morbi la-
terales, Pleuritides dicti, & pulmonum inflammationes, ab aëre a-
quilonio maximè accidunt.* Etenim, ut nihil dicam de aëre,
sic enim Hipp. contrarius existerem; inprimis alimenta no-
bis erunt expendenda. Varia assumimus, varia inde cogimur
experiri. Unde n. tanti morbi, nisi ab assumptis, & quidem
inordinatè. Equidem assumpta alimenta, huic malo maxima
quæque incommoda afferre possunt, inprimis potentiâ cali-
da; hæc n. si plus justo ingeruntur, corpus humanum alte-
rationi obnoxium erit. Ut nihil dicam de cibis opiparis &
lautis, de vino Hispanico & aliis, quæ si M. S. sese insinuant,
& ea antea sit calida, potest non calidior fieri, incendi, & in-
flammationem conciliare. Huc facere videntur Exercita-
tiones vehementiores, inprimis in Corporibus, quæ per lō-
gum tempus quietem habuerunt, ut sunt saltationes in circu-
lum, cursitationes, pilæ lusus, & alia Exercitia vehementio-
ra. Sic inprimis ait Vidus Vidius per cursum, aut aliam cor-
poris vehementem agitationem, quamobrem illi frequenter
in Pleuritidem compelluntur, qui ob aliquam ex prædictis
causis plurimùm incaluerint, quod & olim evenit ipsi Crasso,
citante Cicerone l. 3. de Orat.; quia vehementiùs orasset, le-
gitur latus condoluisse. Exemplum Pleuritidis ex nimio mo-
tu ortum exstat apud Hildanum. Cæterùm prævalere solent
Epulæ, quæ, si intempestivò tempore celebratæ fuerint, uti
fieri solet apud nonnullos, per conorum lusus, & defati-
gationes alias. Ex epulis n. humores varii coacervantur,
Circūferuntur, excitantur, & inde ex motu vehementi, ad vis-
cera corporis deferuntur.

in primis ad pulmones. Hi enim Exercitia vehementiora difficulter sustinere possunt, ob substantiam subtiliorem, quam habent, & laxiorem. Inde humoribus concitatis & fervefactis, cum impetu in pulmones lapsis, ob vicinitatem cordis, fervorem facile experitur. Somni & vigiliarum ratio maxime est habenda. Hæc n. si modum excedunt, incommoda maxima oriuntur, juxta illud :

Ufus habet laudes, crimen abusus habet.

Circa somnum certè medio tutissimus ibis, somnus n. si excesserit, incommoda varia afferre potest. Commemorabo in præsentiarum modò ipsos humores, quos omnes præter sudorè somnus detinet, Scyphala ejicere inhibet &c. Ita se res planè habere videtur cum vigiliis. Vigilia secundum Hippocratem & Galenum humores biliosos vehementer auget, qui certè secundaria causa Pleuritidis sunt. Naturam quippe succi biliosi si quis noverit, nobis non contrariabitur, sed corrosivâ vim eum habere testabitur. Affectus animi, in primis ira suum Symbolum addit, ut non absurdum sit statuere à sola ira Pleuritidem oriri posse. Et haud abs re est, quippe ira commovet sanguinem. Quam primùm n. homo homini irascitur, statim & ex templo quendam dolorem gravativum sentit in pectore. Hinc Germani dicunt: *Es liegt mir auff dem Herzen/als ein Stein.* Non certè aliunde hic dolor gravativus oritur, quàm à M. S. quæ magno cum impetu ad pulmones ruit. Hinc argumentamur ita: Commotâ M. S. commoventur etiam humores in ea latitantes, unde Pleuritis oritur. Deniq; ad præternaturalia delabimur, quæ malum hoc Pleuriticum sæpissimè accersere solent, sicut est Sanguis menstruus, Evacuationes hæmorrhoidales si supprimantur, & alia. Forestus habet Exemplum in suis observationibus, de Sangv. Menstr. Suppr. ex quo Pleuritis originem traxerat, nec non Hildanus in suis obs. Chirurg.

CAPUT VI. Rimatur Causas Symptomatum.

Excussis Causis tam proximis, quàm remotis, ad Causas Symptomatum Pleuritidis nostræ nos accingimus. In definitione

nitione mentionem fecimus febris continuæ. tussis, pulsus
duri, & difficultatis spirandi, jam hæc cuncta ad regulam Les-
bi revocanda erunt.

Quod concernit febrim continuam; in arenam nonnulli
Medicorum descendunt, & febrim modò pro morbo, modò
pro nudo Symptomate habent. Galenus & Hipp. aliam sen-
tentiam foventes, febrim in Pleuritide pro Symptomate ac-
ceptant, hinc hæc verba apud Galenum legimus: Febres
quæ Anginam, Peripnevmoniam & Pleuritidem comitan-
tur, nuda Symptomata sunt. Putamus ergò esse nudum Sym-
ptoma febrim, quando Pleuriticum affectum insequitur. Ra-
tio est in promptu, quippe, si M. S. effervuerit in ea, & cum
ea vitiosi humores, quæ nonnunquam etiam malignitatem
secum habent, necessariò sequi debet febris. Etenim, unde
Ephemera, nisi à fervore M. S.

Tussis oritur in Pleuritide, non aliunde, quàm à materia,
ceu hoste pulmonibus infestante. Etenim hoc videmus in
Larynge, si quicquam incidat, quàm curiosa est facultas na-
turalis Expultrix, quàm sollicita, donec eum expellat? In-
de insurgit magnis laboribus & magnò conamine, nec ces-
sat, quoad inimicum ejecerit: sic etiam se res habet cum
pulmonum Substantia, si hujus inimicus jugulum petit, h. e.
materia in iis latitat, facultas Expultrix ad ejiciendum insur-
git, unde tussis oritur. De Pulsu, ut re ambigua, ne in cas-
sum laboremus, rem in medio relinquimus, quippe in Pleu-
ritide redditur durus & Serrinus: rationem si exigis, Galenū
adeas, & quasi ex tripode depromptam habebis. Galenus
lib. 4. de Caus. puls. c. 12. ita habet *Ex pulsu potissimum Medici deci-
piuntur, & nihil mutabilius in Corpore humano pulsu.* Respirandi
difficultatis causa est ipsius organi respirationis primarii læ-
sio, tum etiam spatium thoracis ab inflammatione pulmo-
num & angustia bronchiorum, vel obstructio & Constipa-
tio. Celeb. D. Sennertus lib. 2. prax. part. 2. c. 3. Angustia,
inquit, non oritur à quacunq; causa, sed vel ab obstructione
vel compressione pertinaci. Utrumque n. obstructionem &
compressionem efficiunt humores crassi, viscidi, itemque
serosi

serosi &c nonnunquam copiosi. Adhæc vel crudum tuberculum, l. grando, vel calculi in pulmonibus hærentes in causa esse possunt. Sive intus bronchia pulmonum obstruant, sive in Substantia pulmonis, venis ejus & levibus arteriis hærentes, ea comprimant, angustiam efficiunt, & ita respirationem lædunt, impediuntq;. Hinc qn. animalium pulmones lapillis infarciuntur, Dyspnoea oritur, quod etiam ap. homines nonnunquam accidisse observatum legimus. Inde non possunt sufficientem aërem pulmones capere, quem defectum natura frequenti respiratione compensare solet.

CAPUT VII. de Differentia agit.

Differentiam Pleuritidis in Epitomen contracturi, prope rã manu eam damus à parte affecta, distinguendo inter Pleuritidem veram s. exquisitam, & spuriam, s. minus exquisitam.

Pulmo in duos lobos paritur mediãte mediastinò, itaq; interdum unus lobus, interdum ambo inflammantur, prout materia in M.S. existat, & humores Symbolũ addunt. Et certũ est, M.S. modò pura, modò aliis humoribus mixta reperitur, unde mox siccior, mox humidior, crassior & tenuior invenitur. Vidus Vidius differentiã ita explicat: *Quod spectat ad pulmonis inflammationẽ, cum hac possit esse vel parva vel magna hinc talis quoq; Pleuritis dici solet magna Galenũ l. juxta different l. 3. atq; insignis, ubi inflammatiõ magna sit, & ab insigni materia copia profiscatur. Parva v. & exigua sit, & ab exigua materia ortum ducat. Dicitur etiam ratione discrete Quantitatis Pleuritis simplex, ubi alia sit, veluti mixta & composita ubi cum pulmonis inflammatione, cum Syncope, cum delirio, cum pestilenti febre, s. cum alio simili graviore affectu p. n. conjungatur. A motu, qui celer, vel tardus sit, sumatur l. pro acuta, vel minus tali, cujusmodi olim expertus est Anaxion Abderites, cui non prius, quàm octavo die ab Hipp. sanguis fuit missus l. 3. Epid. 79. Gal. 1. de Crif. C. 18 & ad 34. usq; producta est totius morbi curatio & per sanatio. A tempore ætatis potissimũ etiam Pleuritidis distinguitur, & sic dicitur esse vel in principio, vel in incremento, vigore s. remissione. Pro quibus diversis hujus morbi ætatibus rationes inferiũs & curationes à nobis præscribendæ erunt.*

erunt. Etenim quemadmodum unda undam pellit, sic etiam
Locus locum determinatum monstrat, qui inflammatione infe-
statur. Scilicet num dextrum, num sinistrum, num utrumq;
latus pulmonum sit inflammatum? an interna thoracis pars, an
externa ad cutem vergens? an ad jugulum ascendens, aut
ad septum trans versus, & præcordium inclinans? Ex quibus
loci differentiis differentias quoq; suscipit ipsa Pleuritis. Quo-
ad differentias Situs ac Loci &c. Hipp. lib. 2. acut: text. 10. 11. do-
lentis nomen obtinent. Tantum de Differentiis.

CAPUT VIII Signa Diagnostica aperit.

Superius Caput de Subjecto agens satis clarè significavit,
pulmones primariò; pleuram v. secundariò affici, quanquam
non negemus & hanc primariò posse affectam esse in Pleuritide
notha. His hic igitur missis, signa Diagnostica à pulmonibus
inflammatis capeffimus. Ubiq; n. adest difficultas respirandi,
tussis, interdum & sputum cruentum, febris, sitis, genarum ru-
bor, dolor in hypochondriis gravativus, ibi adesse dicimus ve-
ram Pleuritidem, Celeb. Dnus. D. Sennertus Pleuritidis signa
Diagnostica sequentia exponit lib. 2. prax. c. 16. p. 229. *Primò, do-
lor lateris acutus qualis in mēbris fieri consuevit. 2 febris continua
& acuta, 3. difficultas respirandi frequens, parva, quia ob inflam-
mationem, instrumenta respirationis satis distendi nequeunt: itaq;
cū usui magnitudine satisfieri non possent, defectum in magnitudine
per celeritatem & frequentiam natura compensare studet. Et ob
dolorem natura cogitur, ut ad secundam respirationem pergat sta-
tim, cū primā nimis parvā usui satis factum non sit. Nam velo-
citas non ita dolorē parit, sicut dilatationis magnitudo, cū hac mo-
tus violentia partem dolentem distendat, illa brevi tempore ad qui-
etem festinet. Pulsus durus, frequens, tussis ergo valdè molesta
est.* Hæc sunt Beatissimi Sennerti verba, circa Signa Diagno-
stica observanda, quæ nobis non tantum arrident, sed & operā
maximam præstant. Cæterum ut eò faciliùs cognoscatur, par-
tes pulmonum accuratè perpendendæ sunt. Itaq; num bini lobi,
num unus inflammatus sit, sequentia animadvertenda sunt.

Si totus

Si totus pulmo inflammatus est, dolor semper aderit gravativus, & quasi totum thoracem implens, & nonnunquam, si attractus fuerit aër cum magno suspirio, dolor pungitivus ægrum in hypochondriis vexabit, qui certè non à pleura proficiscitur. Hinc inflammatio totò pulmone, æger neq; in dextro, neq; in sinistro latere, cubabit, sed cogetur sedere in sella, & sic aerem attrahere, quemadmodum piscis aquâ destitutus in sicco. Si v. tantum alterutrum latus laboret, ille è regione animadvertitur dolor, & reliqua etiam Symptomata in altera parte vires suas exerunt.

CAPUT. IX. Prognostica explicat.

Hippocrates sect. 5. Aph. 15. hanc promit prognosin: ὁκόσιν ἐκ πλευρίτιδος ἐμψυοίγ' ἰνόνται, ἢ ἀνακαθάρθωσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρησιν ἀφ' ἧς ἀν' ἐνζῆς γίνεται, πύουονται ἢ δὲ μὴ, εἰς φθίσην μέγιστανται. *Quicumq; ex Pleuritide suppurati sunt, si in 40 diebus àruptione per superiora repurgantur, liberantur, si v. non, in tabem transeunt.* Et aph. 8 citiùs vitæ filum Pleuriticis abrumpere videtur. *Quicumq; Pleuritici facti in 14 diebus per superiora non expurgantur, iis in Empyema s. suppurationem convertitur.* In primo Aphorism. hoc maximum erit, sc. si 40. diebus non repurgantur Pleuritici, (quadragesima n. dies est ultimus terminus morborū acutorū), succedit suppuratio & suppurationi Phthisis. Sanies n. longò tēpore in pulmonibus cōtēta, eos erodit, & Phthisin inducit. Galenus eand. fovet cum Hipp. Sententiam Comment. 1. Epidem. 2. progn. 5, 7, 8. nec non Celsus lib. 2. Cap. 8. Et sanè res sic se habere videtur, pulmo equidem per se membrum nobilissimū est, habet spongiosam substantiam & raram, in qua nidulatur Sanguis. Si Sanguis jam biliosus, acidus, pituitosus, Pleuritis oritur, non discutitur, abit in pus. Pus erodit Substantiam pulmonum, hoc postmodum abit in cavitatem thoracis, unde Empyema. Itaq; Prognosticon triplex est. Nam vel ad salutem, vel ad mortem, vel ad alium morbum terminabit Pleuritis. Ratione salutis hoc prognosticon firmiter statuere possumus. Nimirum, si vires validæ fuerint, & in hora incrementum sumplerint. Nam Galenus expressè dicit salutem Pleuriti-

riti-

riticorum sitam esse in viribus, quippe omnis Naturæ vis & potentia cognoscitur ex operationibus & functionibus naturalibus vitalibus & animalibus Sanè vires naturales, ex coctionibus ex cruditatibus judicamus. Ex pulsibus vitales desumimus vires, tum etiam respiratione, ex sensibus & operationibus animæ animales. Utrumq; v. hic perpendendum est, neq; sputum prætereundum, sed diligenter examinandum est: Si in pleuritide sputum bene coctum fuerit, & facile excernatur, asserimus cum Hippocrate convaliturum fore ægrum; & vice versa, si crudum pravumq; extiterit, & minimè exspuatur, morbi brevitatem & mortem indicabimus. Celeb. Sennertus lib. 2. Prax. hæc prognostica ponit ratione Salutis & mortis: *Et ut signa reliqua etiam, quæ Pleuriticis cum aliis morbis communia sunt, in Epitomen trahamus, & quid de eventu Pleuriticorum sperandum desperandumq; sit, in summam q̄s: contrahamus, ægrum convaliturum hæc signa significant. Leviter & moderatè morbum perferre, corpus esse æqualiter calidum ac molle, urinas & alvi dejectiones, somnumq; sese rectè habere, sitim esse moderatam, facilè respirare, dolorem esse sedatum, sputum facile ac maturè excerni, idq; in substantia & colore bene sese habere. Contra mortem significant: graviter & cum anxietate respirare, corpus inæqualiter affici, ut sit thorax & venter uratur, extrema frigeant, alvi dejectiones, sudoresq; sese non bene habere, non dormire, siti ardere, dolorem non sedari, nihil, aut paucum cum difficultate & maximo conatu excerni; Delirium si accedat cum septo affecto, & hæc omnia contingant, mortale est signum, si □a tenuis & subtilis fuerit, nec habens aliam materiam, indicat materiam aptam esse ad inflammatum locum, & plerumq; mortem notat; Propria tamen signa majoris momenti sunt, & plus ad mortem significandam unum, quàm ad salutem plurima faciunt.*

CAPVT X. Indicationem sistit.

Perspectis his omnibus ad Curationem properamus. Antequam plenis velis in eam provehamur, indicantia paucissimis attingemus. Pleuritidem superius diximus oriri ab inflammatione, inflammationem secundum Sylvium propendere ab humoribus biliosis nec non succo pancreatico nimis acido. Itaq; indi

indicatio erit, utili humores digerantur, temperentur, discutiantur, affluentes retrahantur, revellantur, & intercipientur, ac repellentibus inhiuantur, fluentes evacuentur. Ab hac indicatione feliciter auspicabimur ipsam curationem. Primum a. expedit, ut Corpus Humanum humoribus abundans repurgetur, 2. festinans ac fluxitis sanguis demulceatur alterantibus 3. pulmones ab infarctu, & humorum oppilationibus purgentur, partim expectorantibus & digerentibus, partim etiam sudoriferis, & denique rite his adhibitis, vires erunt summo opere restaurandæ, & restauratæ conservandæ. Obiter hic quoad purgantia in quaestionem incido, utram illa specifica debeant adhiberi in Pleuritide obbilem prædominantem? R. nos nequaquam illam quaestionem defendere. Si n. medicamenta, purgantia M.S. universaliter purgant, purgât etiâ humores in ea latentes, Melancholicum, biliosum & pituitosum.

CAPVT XI. Venæ sectionem svadet

Venæ sectio in inflammationibus medela, ut antiquissima, ita & communissima, adeo, ut sine hac quidam Medicorum successum s. curam minimè sperent, imò Medicus, qui V.S. spontè negligit, contra M.M. agere dicitur, de qua vid. Gal. Nihilominus circa hanc Doctrinam multæ altercationes ortæ sunt, partim an purgationi præmittenda sit V. S, partim quæ nam, & in quo brachio sit aperienda? Sententias omnes chartæ angustia non capit: brevitati itaq; studebimus, eosq; salt. annumerabimus, qui propter publicam Causam in hanc rem insudarunt. Amicus nobis erit Plato, Socrates, Galenus & alii; magis tamen amica veritas. Hipp. lib. 2. de rat. vict. in acut. tom. 10. in pleuritide aperiri jubet cubiti venam, sed non addit, in quonam brachio Archigenes ex opposito brachio mittit. Vallejus sequitur Hippocratem, Oribasius Galenum. Cælius Aurelianus ex opposito latere venam secare jubet, Celsus huic assentitur Lib. 2. c. 30. Serapius secat basilicâ in opposito latere, dein ejusdem lateris Sa-

phi-

phienam. Rhases in latere dolente venam aperit. Avenzoar venam basilicam lateris oppositi. Halli Abbas in latere opposito, dein in afflicto. Palmam huic præbet Alfaharavius. Avicenna modò in opposito, modò in affecto latere venam tunc dicit. Avenroës in parte contraria, Melues eandem secat. Recentiorum sententiam de V. S. adhuc tacebo. Remitto itaq; omnes ad Sennert. lib. Pract. qui cuncta prolixè pertractavit. Demiror, a. & insigniter miror, quosdam novos artis Medicæ Magistros, qui tam inhumaniter in V. S. Soldurios invehunt, & è Schola medica proscribunt, Scarificationes & purgantia temnunt, uniceq; ad præcipitantia confugiunt, illisq; omnes morbos, scilicet! curare volunt. Sed audiamus argumenta indissolubilia, Inutiles sunt, inquirunt isti medendi modi, quibus persvadetur V. S. quippe, quæ nihil agere videtur, quàm turbare Spiritus, & refrigerando, calidum innatum tollere.

Adducunt insuper Helmontium & Theophrastum, qui V. S. & Scarificationem, ut operam minus proficuum damnant. De Scarificatione ita Theophrastus nugatur: Der rath zu Schröpfen ist nicht anders / als ein Galgenfrist / ist gut milderung halber / nicht wegen heilung / Schröpfen hat weder süßes noch saures in Ihm / als allein daß die Gewonheit bringt und gibt: Item: Schröpfen ist nichts mehr / denn als wenn einer geschwollen ist ein Centner schwer / und du Purgierest Ihm zehen Pfund dabon / und ist morgens wieder / wie vor & c. Joh. Baptista Helmontius V. S. in pleura furente non modò ridet, sed atrocissimum præsidii genus vocat, non unitam in febribus morbisque universalibus à fervore dependentibus damnat. Vid. Lib. de inaudita febr. doctrina. c. 4. in quo conclusionē de V. S. posteritati reliquit. Quæ cum ad propositum nostrum facere quidem possent; tamen ob chartæ angustiam & institutionem siccò, (quod ajunt) pede pertransibimus. Nos asserimus V. S. in Pleuritide locum habere, imprimis si pleuriticus

fit plethoricus, viribusq; integer; & morbus fit in principio. Sin v. ager extiterit modò correptus, & in principio morbus existat, ex remota s. aduersa parte tutissimè vena secatur. Ubi a. Pleuriticus exhaustus fuerit viribus, & nuda appareat plenitudo, vel morbus jamjam fit in statu, venam aperendam esse in parte affecta minimè improbamus. Ubi a. quædam malignitas conjuncta esset, cujus superius mentionem fecimus, V.S. institui potest in opposito & diverso latere. Quantitatem quod concernit his verbis Excellentissimus, Beatissimæq; Memorix D. Sennertus definit. Cap. de Pleurit. part. 2. lib. 2. pag. 233. Quantum sanguinis emittendum sit, ex ejus copia & virium robore æstimandum est. Ita n. vires docebunt, utrum Confertim & unâ vice, an v. partitis vicibus sanguis mittendus sit. De Tempore quæritur, qu. sit Vena secanda? & necessitatem hic non habere legem; nam hic est morbus acutus. Inde statim in principio V. S. administranda, auctore B. Sennertô. Dubium v. hic occurrit, sc. si Pleuriticus extiterit Cacochymicus, ubi materiæ cruditas adest summa, & Symptomata vires prosternant. Hæc fortè Venæ sectionem inhibere videntur. At dicimus circa hæc cautè ac circumspectè agendū esse Medico. Medicus quippe si agnoverit, M. S. vitium quoddam insigne inesse, quòd cunctatione magnum minetur malum, tunc spretâ & posthabitâ humorum cruditate, ex consilio Galeni statim ad V. S. properandum. Symptomatum etiam ratio maximè est habenda, in primis si diritate vires dejicere videantur, tam diu differenda est V. S. donec ea mitigata fuerit.

CAPVT XII. Pharmacoeiam exhibet.

Pharmacoeia proponit I. purgantia, de his in frontispicio quæritur, an convenient, & qualia ea esse debeant? Hic ante omnia distingvere nobis placet, inter lenientia s. mitiora, & fortiora. Hæc improbamus, priora maximè svademus. Purgantia exhibemus propter Cacochymiam, quæ purgationem

tionem indicat. Hippocrates, uti ex Scriptis ejus elucet, fortiora semper exhibuit purgantia. De Veratro & peplo mentionem facit. Nobis in principio mitiora placent, postmodum etiam ad fortiora accedimus. Inter alia nobis excusatur Hipp. hoc n. modò etiam fortiora purgantia exhiberi possunt; modò in minori Dosi exhibeantur. Propinantur v. illa vel per os, vel per alvum. Ad alvum spectant clysteres & suppositoria. Cavebimus autem, ne laxissimam reddamus alvum, hæc n. debilitant, asserente Celsò, imò nonnunquam Diarrhœam periculosam accersere possunt. præscribi possunt Clysteres in hunc modum:

℞. Herb. s. emoll. āā Mj.

rad. Althe

lilior. alb. āā ʒj.

Sem. fcen. græc.

lini āā ʒij.

prun. damascen. n. xvij.

Coq. in f. q. aq. f.

Colat. ℞. ℥j.

add. Cass. pro

clyst. ʒss.

Elect. Diacath. ʒij.

ol. viol.

chamam. āā ʒj.

⊖ commun. ʒss.

M. F. Clyster.

℞. fol. viol.

malv. āā Mj.

flor. melilot.

chamam. āā Mss.

rad. alth.

lilior. alb. āā ʒj.

Sem. lini

fcenigræc. āā ʒij.

Coqv. in f. q. aq. f.

Colat. ℞. ℥j.

add.

add. Elect. Lenit.

Diaphœnic. āā ʒʒ.

ol. chamamil.

amygd. d. āā ʒvj.

viol. ʒiij.

Θ gemm. ʒj.

M. F. Clyster.

℞. Herb. Malv.

Viol.

Pariet.

Branc. Urs. āā Mj.

Sem. lini -- ʒʒ.

Coq. in f. q. aq. f.

Colat. ℞. ʒij.

add. El. Diasebest. ʒj.

Diaphœnic. ʒiij.

ol. viol. ʒj.

Ⓞ Biat. ʒj.

M.

F. Clyst.

Suppositoria facilimè parantur ex sævo, melle cocto, v. g. ℞. Spec. Hier. ʒij. Troch. Alhand. Θ. gemm. āā ʒj. Mell. q. f. F. l. a. suppositorium. illin. ol. commun. l. oleo amygd. d. detur ad chartam.

Per os quæ exhibentur sunt vomitoria, eaq; modò fortiora, modò leniora. Inde quidam svadent in Pleuritide sumopere vomitoria, ut: Rulandus, Hartmannus, Anglus Sala, & alii Chymici plurimi, inprimis in iis, qui ad vomitum sunt procliviores. Verumenimverò Vomitoria nuda omnem Pleuritidem non auferre valent. Ea quidem primas vias exhaurire, ambabus largimur manibus. Mitiora sunt jusculum pingve, butyrum non Θsum. decoct. raphan. vin. Emet. Mynsicht. Θ Emet. Vomit. Angli salæ. Gilla Teophrasti. Fortiora sunt ▽. benedict. Rulandi. ♀ vitæ: succinum ʒii; hæc tamen cuncta cum iudicio & Experientia adhibenda.

Purgantia v. sunt. Rahab. Cass. Mann. Agaric. Jelap. Syrup. Cichor. c. Rahab. Ros. solut. viol. solutiv. Fortiora
eaq;

eaq; composita, it. Scammon. Extr. Scammon Scammon $\text{\textcircled{D}}$ at
Scammon. $\text{\textcircled{D}}$ at. Magist. Extr. Rahab, Cnicopharmac. & alia
composita. Hæc modò in liquida, modò in solida Substantia
adhiberi possunt pro beneplacito Medici. Quidam memo-
rant excellentia contra Pleuritidem medicamenta purgan-
tia, v. g. mel. rosat. solut. Man. cum oleo amygd. d. oliv. cum
 ∇ f. & sic porrò. Conradus Gesnerus in Pleuritide Epidemia
ol. lini profuisse, & alvum apprimè laxâsse refert.

\mathcal{R} . Mann Calabr. \mathfrak{z} j.
dissolv. in jure pult. q. s.
Colaturæ \mathcal{R} . \mathfrak{z} ij β .
add. Syr. Cichor. c. Rahab.

\mathfrak{z} iij.

∇ . Cinam. \mathfrak{z} j.

M. F. Haustus.

S. Lindtränckgen auff 1. mahl.

\mathcal{R} . Cass. recent. extract. \mathfrak{z} β .

Aq. Scabios.

viol. $\text{\textcircled{a}}$ \mathfrak{z} iij β .

Mel rosat. solut. \mathfrak{z} vj.

pulv. rad. $\text{\textcircled{J}}$ elap. $\text{\textcircled{S}}$.

M.

F. Potio.

S. Trancé auff zweymahl.

Si æger v. in alia forma purgantia postularèt, ea non tantū in
liquida, sed & solida Substantia commodè propinari possunt,
quippe, si placet, pulveres præscribi queunt sequentes.

\mathcal{R} . Crystall. \mathfrak{z} i \mathfrak{z} j.

pulv. $\text{\textcircled{J}}$ elap. $\text{\textcircled{S}}$.

Cinam. gr. vij.

M. F. Pulvis.

S. Purgier pulber auff 1. mahl.

\mathcal{R} . Mag. Scammon. $\text{\textcircled{S}}$.

\mathfrak{z} . $\text{\textcircled{D}}$ lat. gr. vij.

resin. $\text{\textcircled{J}}$ elap. $\text{\textcircled{S}}$.

M. F. Pulvis.

S. Purgier Pulber auff 1. mahl.

F

\mathcal{R} . Pulv.

†.
℞. Pulv. Polychrest. D. Schneid. gr. viij.

Sirij. ℥ss.

Scammon. Ⓞlati gr. iij.

M. F. Pulvis.

℞. Purgier pulber auff 1. mahl.

†.

℞. Agar. alb. ℥ss.

Crem. ꝑi ℥j.

Scammon Ⓞiat. gr. vj.

Cinam. gr. v.

M. F. Pulvis.

℞. Purgier pulber auff 1. mahl.

℞. Aloës viol. ℥j.

Diagrid. gr. iij.

Sp. Ⓞli gutt. ij.

M.

F. Pil. n. xj.

inspergantur pulvere Sanda-

lorum rubr.

dentur in pyxid.

℞. Exier Pillen auff 1. mahl.

℞. Extr. fol. Senæ ℥j.

res. Jelap. gr. viij.

ol. anis. gutt. ij.

M.

F. Pil. n. xv.

de Ⓞrentur.

℞. Purgier Pillen auff ein mahl.

℞. M. P. de agaric. ℥j.

Diagryd. gr. iij.

ol. fœnic. gutt. ij.

M.

F. Pil. n. xij.

℞. Purgier pillen auff 1. mahl.

℞. Extr.

2. Extr. Cholag. Croll. ʒss.

Pulv. Syrii gr. viij.

cum Elix. Stomach. q. s.

M.

F. Pil. n. xv.

3. Purgier pillen auff 1. mahl.

†.

4. Extr. Cnicopharm. ʒss.

Crem. ʒj. ʒj.

refin. jelap.

Scammon. āā ʒss.

Troch. Alhandl. gr. ij.

Conserv. ros. rubr. vet.

ʒj.

M.

F. Bolus.

Sacchar. insperg.

5. Purgier Zucker auff 1. mahl.

†.

6. Pulv. Polychrest. D. Schneid. gr. viij.

Extr. fol. Sen. ʒj.

Diagryd. gr. iij.

Cons. ros. ʒat. ʒjss.

M.

F. Bolus.

Sacchar. insperg.

7. Purgier Zucker auff 1. mahl.

Nonnulli in Pleuritide svadent Diuretica, in primis si natura materiam peccantem ad renes derivat. Videatur Vid. Vidius, Amat. Lusitanus Schenckius, & alii. Ex Diureticorum pœnu varia depromuntur utpot. rad. s. aperient. Cicer. rub. rad. ononid. glycirrhiz. Saxifrag. herb. capill. ʒis Emuls. fem. melon. cucum 4. frigid. maj. Card. bened. lapis prunell. sp. ʒlis, & plura alia, quæ brevitatis studio præterimus.

Alterantia in Pleuritide maximopere proficua sunt,

F 2

quorum

quorum Celeb. D. Sennertus mentionem facit. Lib. Pract. 2.
c. 16. p. 246. Duplicia v. externa vel interna ponit. Interna
discutiunt & refrigerant sequentia :

℞. Sem. Card. bened.

Card. Mari āā ʒʒ.

Melon. ʒʒ.

Aqv. acetos.

Card. bened. ℥ʒ.

Fl. a. Emuls.

Colat. ℞. ʒiiij.

add. ras. dent. apr.

oc. ʒ. āā ʒʒ.

Et dulcorentur cum specie

Diatrag. frig. ʒij.

**S. Stärck und alterier Milch wieder das Seiten
stechen auff etlich mahl.**

℞. Sem. 4. frig. major. āā ʒʒ.

Card. bened.

Melon. āā ʒj.

Aq. Scabios.

Violar.

Card. bened. āā ʒvij.

F. l. a. Emuls.

Colat. add.

Marg. preparat. ʒj.

Species Diatragacanth. frig. ʒʒ.

M.

S. Alterier Tranc̄ auff etlich mahl.

Si v. adfuerint vigiliæ & malignitas quædam, ratio maximè
erit habenda horum Symptomatum, imprimis v. vigiliarum
& malignitatis.

℞. Aq. Card. Benèdict.

Cichor.

Flor. papav.

Rhead. āā ʒiiij.

TR. fl. papav. rhead.

Syr.

Syr. Scab.
Acet. Citr. āā ʒj.
TR. Bezoart ʒʒ.

S. Stärck und alterier Tranc̄ auff etlich mahl.

R̄. Aq. Scorzon.
Scab.
C. M. āā ʒiij.

Syr. papav.
farfar.

TR. rosar. āā ʒj.
Corall.
Ess. flor. papa. rhead. āā ʒʒ.

M.

F. Potio

S. Vermischt Tranc̄ auff etlich mahl.

**CAPVT XII. Medicamenta Specifica
comprehendens.**

Medicamenta Antipleuritica specifica, non modò B. Sennertus; verùm etiam alii varia post se reliquerunt, inprimis simplicia ab iis hæc annotantur. Flor. papav. Rad. herb. & rad. Card. bened. Sem. Card. ben. M. Cortic. avell. rubr. germ. Lampretsnuschalen/lap. Percar. Cancr. luc. mandib. den. apr. Corall. rubr. Quidam Sperma Ceti exhibent, nec nō priap. tauri, lepor. ocul. \mathfrak{S} vel apr. corp. item Sanguis hirci secundam Helmontium præparat. Quidam magnum fructum Pleuriticis locatum esse in stercore equino. Præfatus n. Autor refert: Vidi rusticum robustum omnes Pleuriticos tertio potu sanantē. Utebatur n. stercore jumenti pro viro, & caballi pro muliere, quod diluebat in cerevisia ac colaturā expressam offerebat.

Manlius ex Melanchtone refert; Memini virum quendam iter in æstate facientem, in convivio incalescere & laborare Pleurisi, cui frater meus dabat pharmacum, quò etiā usa est D. Lutheri uxor: descendebat frater meus in stabulum equorum, exprimebat ex stercore equino succum, cui ad fal-

F. 3

len.

lendum, saccharum insperſit, & agrotanti hauriendum de-
dit. Hâc unicâ curatione fuit curatus. Paracellſus ꝑeatis, Ma-
tis & ꝑatis utitur. v g. ꝑ. Bezoard. Alii ꝑ. ꝑ. lat. & Spiritum
Crolli valde extollunt.

Medicamenta ꝑExpectorantia ſunt magno uſui in hoc
môrbo, horum varii Autores mentionem fecêre, inprimis
Schônbornius in ſuo manual. Pract. Aliàs mirificè prodeſſe
creditur Saccharum vino Hiſpan. exhibitum & dilutum. Hoc
n. Expectorationem mirificè adjuvat B. Sennertus ſua in
Prax. ſeqv. Expectorans exhibet:

Rec. Sacchar. Penid. ꝑj.

rotul.

Diarr f.

Diatragac. frig. ꝑiij.

Paſſul. min. enucl.

Sem. papav.

malv aã ꝑij

Syr. viol. q. ſ.

M. F. Linctus.

Rec. Syr. Iujub.

Capill ꝑis aã ꝑj.

Hiſſop.

Tuſſilag.

Oxymel ſimpl. aã ꝑvj.

M. F. Linctus.

Externa à nobis minimè præteriri poſſunt. Hipp. de vict. rat. in
acut. fomenta maximopere laudare & commendare videtur,
nec non balnea, verùm cum limitatione, ne ſc. Pleuritici diu
in iis commorentur ob exſiccationem pulmonum.

Linimenta Medici ſequentia extollunt.

Rec. ol. Amygd. d. ꝑj.

Chamam.

lilior, alb. aã ꝑii.

pingv. gal. ꝑß.

Camph. oleo amygd. ſolut. ꝑß.

M. F. Linimentum.

S. Sâlden cuffelitz zug. branchen

Rec.

Rec. Ungvent. melilot.
dialth. āā ʒj.
ol. lilior. alb.
Camem.
aneth.
Irin.

pulv. fl. Chamæm. āā ʒß.
ol. ꝑi rectific. ʒj.

M. F. Linimentum.

S. Sälbgen wärmer die Seiten zu schmieren.

Quidam hîc recurrunt ad animalia, eaque in medium discissa, lateri Pleuritici imponunt, uti est, galina, columba. &c.

CAPVT XIV. Diætam exhibens.

Circa Diætam auspiciûm capimus à sex rerum non naturalium legitima administratione; inter has primò locò nobis occurrit Aër ad pulmones & in M. S. intrans, & ad Spiritus generandos maximè faciens. Hic Pleuritico sit temperatus, & potissimùm ad frigiditatem inclinet. Verum enimv.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines.

Non' planè hîc frigidum vademus, qui transpirationem inhihet; calidior v æstû partis affectæ urget. Quod si Pleuriticus tempore Canicularum laboravit, pavimentum refrigerantibus plantis inspergendum erit, utpote fol. salic. vitis flor. ros. nymph. & sic porrò.

Cibus sit admodùm tenuis, potentiamq; refrigerandi habeat, valet potissimùm juscul. ptis. s. Crem. Ptis. hordeac. germanicè dicunt. Haber. grûß Suppen / nec non juscula amygd. d. ut & Emuls. ex amygd. & sem. 4. frigid major cum ▽ hord. ros. Endiv. Cichor. in primis si Pleuriticus aliquantisper convalescat. ad restaurationem sequens exhiberi potest. decoctum.

℞. aq font. q. v. & ei immisce Sacchar. q. s. ad grat. sap. dum hæc in coqvuntur, vitella ovi abjectis albuminibus conquassata injiciantur, addatur modicum vini Rhenani. vel Hisp. His panis triticeus frustulatim immergatur & exhibea.

beat. Potus nimius fugiatur, in primis vinum, quod in affe-
ctu Pleuritico venenum est.

Quæritur hic, An vinum prorsus interdicendum sit?
Resp. modicum interdum exhiberi posse ratione virium, &
in primis, ubi jam morbus desit. Svademus hic insuper
decoct. hord. cum ∇ hord. cum passul. aut Jul. ros. & viol. &c.
Proficua sunt decocta pectoralia ex ligno glyzirrhizæ jujub,
passular. item Emuls. & Mixtur. Mixtura sit sequens,

Rec. amigd. d. excort. \mathfrak{zj} .

Sem. papav. alb. \mathfrak{ssj} .

4 trig. maj. \mathfrak{aa} \mathfrak{zjss} .

Aqv. ros.

Endiv. \mathfrak{aa} \mathfrak{ziii} .

Marg. præparat. \mathfrak{zjss} .

F. l. a. Emuls.

add. Elect. Alkerm. c. m.

& a. \mathfrak{zj} .

M. F. Mixtura.

S. Mixtur auff zweymahl.

Vigiliæ nimie fugienda, & si sponte ingruant, somnus pro-
vocandus soporiferis medicamentis.

Motus Corporis intermittendi vehementiores, ne vires fortè
jam prostratæ, amplius debilitentur.

M. S. ne fervidior & citatior reddatur.

Animi pathemata vitanda, præprimis ira, hæc n. M. S. maxi-
moperè fluidam reddit, unde malum augetur.

Alvus si fuerit tardior, modò clysteribus emollienda, modò
suppositoriis.

Mensium & hæmorrhoidum fluxus, si spontaneus & criticus
is fuerit, nec etiam Sanguis è naribus criticè fluens inhiben-
dus; sed facilitantibus cuncta denique sic dirigenda, pera-
genda, ne excessus committatur. Et hisce rudiori Miner-

va de Pleuritide differere placuit.

SOLI DEO GLORIA!

Quam



Quam tacitè tecum meditatus Apollinis ar-
tem.

Hactenus es KÖLSCHI, nunc facis esse
palam.

Dum Tibi morborum causas artemq; medendi
In Catbedrà solers pandere cura sedet.

Gratulor artis opus Medica primamq; Catbedram.
Et precor ut fructum prodat utrumq; suum.

In honorem Doctiss. Dn. Respondentis
Amici per dilecti gratulab. f.

Michaël Clausenburgerus,
Med. Transylv. Theol. Cult.



MARTINUS,

duplici Anagr.

Ars munit. Mars unit

Die Kunst verbindet. Mars überwindt.

Ⓞ

Nicht

Nicht bessers als ein **B**U**C**H und **D**E**S**E**N** mag
sich paaren/

Was der ersehten soll/hat jener schon erfahren;
Des Alexanders-Sieg liegt in Homerus Schrifte
Dem Hector und Achill Maro ein Denckmahl stiftet.

So machts auch Dacien, die ihre Saracenen
Durch Buch und Sebel kan außs tapfferste verhöhnien.
Sie schickt die Ihrigen auß auß Pallas Ritter-Schul/
Und nimt sie wieder heim / setz Ihnn den Ehren-
Stahl.

Ja wie des Cocles Schilbt den Feind dort hielt zurücke/
Als seine kecke Faust focht auß der Röhmers Brücke;
So ist durch Dacien, und dero tapfern Standt /
Europens untergang vorlängsten abgewandt.

Nun wohl/Mein Werther Kölsch / Ihr seid durch Pal-
las siegen/

Und Podalirens Kunst nicht wenig schon gestiegen;
Sucht ferner glücklich das/wodurch euch als ein Mann
Auch gegen Feind und Todt der Daz'ger brauchen
kan!

Diß wenige schrieb Seinen vielgeneigten
Herrn Tischgenossen zu Ehren des-
sen Dienstwill.

Johannes Schindlerus.



Laudo tuos ausus medicos Doctissime KÖLSCH
Quos tibi sedulitas contulit atq; labor.

Perge

*Perge precor medicis porrò invigilare Camœnis
Ut possis patria commoditate frui.*

Amico atq; Conterraneo suo svavissimo
gratulab. scribeb.

Michael Gundesch,
Cibinio Transylvanus.



Non levis est Medicina labor, non expetit illa
Ingenium quodvis, si benè cedat opus.
*TE KOELSCHI Medicis feliciter artibus uti
Comprobat artis opus. Gratulor inde Tibi.*

Præstantiss. Dn. Respondenti A-
mico svavissimo appl.

f.
Georgius Brendorffius,
Coronâ Transylvanus.



Sunt varii morbi, Medici quos nosse laborant
Unde trahant ortum, quid fluat inde mali.
*TE juvat hæc KOELSCHI, primaria cura me-
dendi,
Ut satis hæc doctis pagina docta probat.*

G 2

Applau-

*Applaudo coeptis : felicia fata sequantur ,
Ut TIBI, succedant, quae Tua vota volunt !*

ita
gratulatur

**Johannes Greiffingius,
Coronâ-Transylvanus.**



QVàm primùm ex Patriâ dolci comitante
Jehovâ.

Suscepit claris Te Witeberga jugis.
Otia fugisti, Musarum castra secutus,
Una Tibi semper cura Galenus erat.

Nunc Tua sedulitas præclaro sistitur orbi,
Dùm cathedram scandis doctâq; verba fa-
cis.

Et Medicas artes sollers defendere pergis,
Ut possis factis amplificare moras.

Gratulor hos nîsus, præsentis gratior honores,
Quos meruit studium continuusq; labor.
Perge ut cæpisti, clarissima dona sequentur,
Patria Te Medicum laudat amatq; suum.

Hos qualescunq; non ingenii aut venæ versus
Præstantissimo Dn. Respondenti. Amico suo
singularissimo gratulabund9 deproperabat

**Georgius Colbius, Coronâ
Transylvanus.**

Nonne tuas, KOELSCHI, meritò demirer
abyßos

Mentis, & ingenii fertilioris opes?

Quàm felix Medicus, qui quotquot dentur ubiq;

Naturæ & morbi semina, scire cupit.

Qui Medicas solerter opes tractare Galeni

Nititur, ut tali pulvere Victor eat.

Nec satis est, studiis solus solerter adesse

Sympatriota Tibi, publica rostra petis:

Atq; cathedralti tentas de sede referre

Artes, quas variè mens bibit alta domi.

Cesso tamen dotes animi mirarier amplas,

O Transylvani nobile germen agri.

Nunc pugna! pugnam facilem dignamq; labore

Si perges, prædam spondeo. Victor eris!

Exiguus hisce

benevolum affectum erga Pereximium

atq; Literatissimum Dn. KÖLSCHIUM,


Conterraneum suum suavissimum,

Amicum intimum declarare

voluit, debuit

Martinus Maurer / Kis-Schen-

ckinô Transylvanus SS. Th. St.



Schau/Waterland/Schau nur wie deine
Pflanzen wachsen;

G 3

Schau

Schau wie sie sprossen her in dem belobten
Sachsen ;

Schau nur / wie jede sich der Weißheit iht er-
giebt

Wie Kunst und Wissenschaft von allen wird
geliebt.

Was Aristoteles in Griechenland gelehret /
Und was *Hypocrates* der Nachwelt hat verehret /

Ja was der treffliche *Galenus* hat gewußt ;
Noch mehr / ganz Latien / daß nehmen an mit
Lust

Die Pflanzen die Du zeigst : Des Luthers
reine Lehren

Die werden auch geacht : Es wül den Ruhm
vermehrten

Daß *Themis* wird geehrt : Drum jauchze
Macer-Land

Erfreu dich deines Glücks / du stehst in
besserem Stand

Vor vielen Ländern noch. Was aber ? was
viel Worte ?

Schau wie Herr Kölsch dort an dem gelehr-
ten Orte

So rühmlich disputirt : Schau wie Er zeigt
an

Das / was Ihm Wittenberg bisher hat
kund gethan.

Sein

Sein unverdroßner Fleiß ; Sein Nächtliches
Beginnen ;

Sein Arbeit/Schweiß und Müß ; Sein fleiß-
siges Nachsinnen ;

Das trachtet nur nach Kunst : Drum trägt
Er auch den Lohn/

Den Er erworben hat mit Ehr und Ruhm
davon.

Du aber Werthster Freund / Du Theil
von meinem Herzen

Nim an was Dir mein Herz / heut wünschet
ohne Scherzen :

Erfreu das Vater-Land : Erlang
die Ewigkeit :

Vermehre Ruhm mit Ruhm : ver-
treib den blassen Neid.

Seinem Höchst-werth-geehrten Herrn Lands-
Mann und Stuben-Gefellen / setze dieses
zwar wenige / doch vielmehr im Herzen
wünschende zum stetswehrenden Gedäch-
niß treu-geflogener Freundschaft.

Johannes Schüllerus, Pro-
densis Transylv. S.S. Th.St.

Quid

Quid juvat alta domus Phrygiis innixa columnis,
Aurataq; trabes, marmoreumq; solum?
Si commune malum, morbus, Tua membra laceffet,
Nec sit Phœbeâ qui levet arte malum.
Hinc Medicina bonum, quò non præstantius ullum
Quam coluisse animò fervidiore juvat.
Præclaris ausis dum pulpita clara Medentùm
Scandis, Mi KOELSCHI, doctaq; verba facis:
Te voluisse animò constanti Scripta Galeni,
Magni & SCHNEIDERI non sine laude doces.
Insta ausis Mi KOELSCHÆ Tuis. Sic magna parari
Magnâ crede mihi sedulitate solent.

Gratulabundus Amico suo sincero

L. M. Q. apponebat

Joannes Marthius N.H.

Med. Cultor.

Dùm medicis KOELSCHI studiis tua nomina
donas,
Ut possis patrio commoda ferre solo.
Gratulor; hinc etenim splendens Tibi fama re-
surgit,
Post tua fata nec est interiturus honos.

Hæc Amico suo integerrimo gratu-
bundus apposuit

Johannes Gockesch,

Coronâ Transylv.







94 A 7382

ULB Halle 3
002 183 692





Sb.

VD 17

21.7.99 Bd.







66 20

A. D. T. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA
DE
PLEURITIDE,

QUAM
SUMMI NUMINIS AUSPICIO,
DEO TER OPT. MAX.

consensuq;
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
publicæ disquisitioni subjiunt
PRÆSES

JOHANNES FRIDELIUS,
Pofoniô-Hungarus, Med. Doctor.

Autor & Respondens
MARTINUS KÖLSCH,
Segesvvariâ Transylvanus
Med. Cultor.

In Auditorio Medicorum
horis matutinis

die April. Anno M. DC. LXVIII.

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken.

splendore
a præsen
nialium sa
magis pue
in diebus
licatis vi

iquarum,
smo indi
tempore
li qualita
erabatur;
us ejus ap
it Christus
Christus
eb, stellato
bet stella
dIDEUM,
naria illa
sapienti
alis exhi
æternam
ine grati

s impulsu
ed virtute
entiâ con
vidit Ma
pervenit,
n per ara
rne.

